APOLOGIA
CORRECTIONIS
GREGORIANÆ,

OPERISQUE A R. P. MELITONE
Perpinianenſi Capucino Editi.

ADVERSUS

JACOBUM BETTAZZIUM PRATENSEM,
Plebanum S. Hyppolyti in Piazzeneſe, Diœceſis Piſtorienſis.

M. DCC. XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

APOLOGIA
CORRECTIONIS GREGORIANÆ
OPERISQUE
à R. P. MELITONE Perpinianenſi Capucino editi.

JAM pridem, ad Computum Eccleſiaſticum à Sancta Tridentina Synodo Commendatum, quatenus per Religionis meæ Obſervantias, variaque Ordinis Officia otium fuit, mentem appuli. In Scientia temporum, maximè materiæ Paſchalis quidquam profeciſſe exiſtimabam. Cum in notitiis Publicis peteretur ratio, *Cur Epacta anni 1699 additis tantum decem diebus, innotuit Epacta anni Communis 1700: Unde provenit, Epactam anni 1734 fuiſſe XXV, Paſchalem Solemnitatem die 25 Aprilis indicantem; Si namque Epactæ anni 1699 undecim dies de more adjecti fuiſſent, Epacta anni 1734 fuiſſet XXVI, indicaſſetque Paſcha die 18 Aprilis. Omiſſio diei Biſſexti anno 1700 facta, non eſt ſufficiens ratio; Cur decem tantum dies adderentur, cum ex Gavanto, anno 1800 etiam communi, Epactæ anni 1799 undecim dies addendi erunt ad exhibendam Epactam ejuſdem anni* 1800. Amicorum inſtantiâ, ad reſpondendum huic quæſtioni brevem diſſertationem confeci, in qua explanata difficultate; rectam eſſe Epactam anni 1700, rectam quoque Epactam anni 1734, juxta Gregorianæ correctionis principia, patefeci. Ea elucubratio in Mercurio Virodunenſi menſis Februarii ejuſdem anni 1734 impreſſa habetur.

Poſtmodum dictum ſapientis, *qui addit ſcientiam addit & laborem* expertus fui. Anno ſiquidem 1737 eruditi quidam Viri, ab Avenione ad me miſerunt tria opuſcula ſeu tres ampliſſimas cartas, à peritiſſimo ac nobili Fratre Hugone à S. Brunone Liraci Solitario compoſitas, quarum primæ, Titulus, *Tabula Epactarum perpetua.* Secundæ, *Clipeus Gregorianus Aſtronomicus.* Tertiæ, *Aries Paſchalis Gregorianus.* Enixè rogantes, ut

de iis mentem meam proferrem. Veritaris zelo magis quam illuſtrium virorum precibus illectus, animadverſiones quaſdam protuli; quibus probavi arque demonſtravi, Fratris Hugonis Epactas eſſe minus rectas, & à Gregoriana Hypotheſi alienas: quas animadverſiones direxi Præclariſſimo Marchioni de Caumont, cujus fama in Republica Litteraria celebris: ejuſque nomen in Regia Pariſienſi Academia notiſſimum: quæque duplici idiomate Latino nempe & Gallico, Toloſæ Typis mandatæ fuere anno 1738.

Cum iis exercitationibus, aliquantulos in computo Eccleſiaſtico profectus feciſſem: Variaque commenta vera & utilia elucubratus fuiſſem, ab Academiis Regiis Pariſienſi, Monſpelienſi, nec-non Toloſana, juri publico tradenda, exiſtimata: Prælo ea committere cenſui, coloniæ, initio anni præteriti 1743, & veneunt Toloſæ, quorum Titulus, *Gregoriana correctio illuſtrata, Ampliata & à conviciis vindicata, &c.*

Exiſtimabam profectò, ſufficiens accrementum computo Eccleſiaſtico contuliſſe: Cum ecce paucis ab hinc menſibus, mei ultimi operis eruditiſſimum cenſorium judicium, Lucæ Iralico idiomate editum accepi. Cujus Titulus, *Sentimento Del Piovano jacopo Bettazzi di Prato, in torno el libro del molto R. P. Melitone da Perpignano.*

Librum Latino idiomate impreſſum, Italico carpit Bettazzius, quod quidem non fecit ad captandam popularem auram; neque ut opus P. Melitonis ab ignaris & ſciolis vilipenderetur, abſit à tanto viro tanta noxa: ſed ut ipſemet ait in Epiſtola ad me miſſa, ut ab ejus amicis Eccleſiaſticum idioma ignorantibus, melius intelligeretur.

Ipſemet Bettazzius, libellum humaniſſimis litteris ſociatum, ad me mittere dignatus eſt. Cum autem traductorem Italici idiomatis in Gallicum adhibere, neceſſe habuerim: præterea cum in eo libello, ad aſſertiones omnes probandas, ad opus eruditiſſimum à ſe elaboratum non dum impreſſum, lectores remittat; producatque ejuſdem operis Epitomen Florentiæ impreſſam anno 1733, cujus Titulus, *Epitome operis Paſchalis.* Ut libellum mentemque Auctoris perſpicuè intelligerem, dictam Epitomen advocare neceſſe habui, quam idibus julii proximè præteritis feliciter accepi: qua pervoluta, ejuſque libello traducto, ad reſponſionem me accingebam. Sed iterum alius obex, alia dilationis cauſa occurrit. Siquidem R. P. Teleſphoro Provinciali Noſtro ex humanis ſublato, per novem circiter menſes, Provinciæ fræna ſuſcipere habui; nunc verò eo onere ſublevatus, ad Apologiam perficiendam propero.

Primùm quidem, Auctori Epitomes atque libelli, qui Epitome Epitomes, vel ſumma ſummæ eſt appellandus, benemeritas laudes reticere, nefas eſſet; ejus eruditiſſima Epitome, viri in hiſtoriâ doctiſſimi & in materia Paſchali Verſatiſſimi ſpecimen profert. Sed ignoſcat ipſemet Auctor, ſi veritatis zelo ductus animadverſiones quaſdam tam in ejus libellum, quam in Epitomen proferam: An rectè, an minùs prolatæ fuerint, ſaniùs ſapientibus dimittendum.

Duplex eſt clariſſimi Bettazzii ſcopus; primus, Gregorianam correctionem quaſi minùs rectam proclamare: Alius, quaſdam animadverſiones in meum opus producere. Proptereа bipartita erit mea Apologia. In prima

Digitized by Google

parte Gregorianam correctionem propugnabo, novoſque Bettazzii cyclos, eſſe pſeudocyclos patefaciam. In ſecunda, mea nova commenta defendam. Fateor, ſi nihil aliud eſſet in libello, quam mei operis modica æſtimatio; tametſi ab Academiis Gallicis approbati, & ab Aſtronomis magno pretio habiti, minimi penderem: lectorum judicio omnia dimitterem Porro correctionis Gregorianæ, à ſede Apoſtolica indictæ & promulgatæ, à toto fere orbe Chriſtiano acceptatæ, buccis crepantibus detrahere: nullatenus ferendum, imo eam vindicandam, duxi.

PARS PRIMA.

Calendarii correctio à Gregorio XIII indicta, tametſi quibuſdam inevitabilibus vitiis obnoxia, potior eſt, quavis alia à Bettazzio propoſita.

GRegorianum Syſtema, emendationem Computi Eccleſiaſtici tum Solaris; tum Lunaris Complectitur. Verum Æquinoctium ad 21 Martii, veluti erat tempore C. Nicæni, decem dierum detractione revocavit; atque trium Dierum omiſſione in quadringentis Annis Julianis, eidem Diei 21 Martii perpetuò præfixit. Paſchalem quoque Quartamdecimam Lunam, expunctis è Calendario Numeris Aureis, per Epactas certo ordine diſpoſitas, inquirendam eſſe ſtatuit. Periciſſimus autem Bettazzius, utramque Gregorii emendationem, videlicet Solarem atque Lunarem, acriter impugnat, aliamque ei ſubſtituendam cenſet. Quod ſeparatim expendendum.

Solarem Correctionem Gregorianam immutandam eſſe, intempeſtivè contendit Bettazzius.

QUòd Epocham cycli ſolaris, Anno 1600 cum correctoribus præfixerim, ægrè fert Bettazzius; eamque Anno 1700 annectendam cenſet. *p.* 2. §. *Di queſto.* Imo decretum à Summo Pontifice expoſtulat; ut, futuris ſæculis, ea quaſi anno 1700 præfixa fuiſſet, computanda ſit. Adeo ut Anno 1600 Communi facto, Annus 1700 fuerit Biſſextilis, Anni verò 1800, 1900, 2000 communes eſſent tranſigendi, & Annus 2100 Biſſextilis. Vel Anno 1600 Biſſextili peracto, quatuor centeſimi Anni videlicet 1700, 1800, 1900, 2000 abſque Biſſexto ducantur, Annus autem 2100 cum Biſſexto tranſigatur, deinde tribus centeſimis communibus factis, quaternus quiſque centeſimus Biſſextilis computetur.

Rationem tranſlationis iſtius Epochæ affert: Quia, inquit, Gregoriani Ma-„ thematici arbitrati fuere, Anno 1600 cæleſte Æquinoctium contigiſſe

Digitized by Google

„ die 20 Martii, tribus horis poſt occaſum ſolis: Ea hallucinatione
„ ducti, ſolaris periodi Epocham, centeſimo Anno 1600 annexerunt, cum
„ autem Aſtronomicæ obſervationes correctorum ſuppoſitionem falſam de-
„ monſtraverint: ideo annus 1600 ſine Biſſexto tranſigendus erat & ſolaris Epo-
„ cha Anno centeſimo 1700 collocanda. Cum verò utrique centeſimi Anni
„ 1600 & 1700 ſint præteriti & omiſſio Biſſexti facienda quidem, Anno
„ 1600 facta fuerit Anno 1700, computatio eſt nunc in eodem ſtatu ac
„ ſi omiſſio Biſſexti facta fuiſſet Anno 1600. Porro ut futuris tempori-
„ bus æquilibrata retineatur ſolaris periodus Gregoriana, & conſequenter
„ è medio tollantur magnæ controverſiæ, quæ circa Paſchatis celebratio-
„ nem præterito ſæculo evenerunt; quæque redirent per ſæculum poſt an-
„ num 2000, atque per alia correſpectiva ſæcula futura; ſufficeret, Sum-
„ mum Pontificem, ad quem ſolum attinet, decernere dictæ periodi Epo-
„ cham deſumendam eſſe in poſterum ab Anno centeſimo 1700 & qua-
„ ternum quemque centeſimum annum poſt eum, Biſſextilem fore. Ita Bet-
„ tazzius.

Verùm, ad quid tanta immutatio in Calendario Gregoriano? Nonne ipſemet dicit, *in Epitome operis Paſchalis pag.* 3. *& Seqq.* multiſque argumentis probat, ſervatâ anni ſolaris Epocha & æquatione Gregorianâ: Æquinoctium vernum, à die 21 Martii per plurima Annorum millia non eſſe receſſurum, quin ad eamdem diem ſua ſponte revertatur. Additque pag. 5. *nonnullis notatu dignis exhibitis, patet, quod per Summum Pontificem non deceat, recentiorum inſignium Aſtronomorum ſententias admittere, donec recedente Æquinoctio à propria ſede civilis diei* 21 *Martii, abſque eo quòd vel numquam vel fere numquam intra prædictum quadringentorum annorum ſpatium ad ipſam civilem diem* 21 *Martii revertatur.* Et pag. 6 *Elicitis demonſtrationibus manifeſtò apparet, Æquinoctium Vernum receſſurum non eſſe à civili die* 21 *Martii, uſque ad annum Domini* 5000 *& ultra.*

Quibus perpenſis, quis non videt, perperàm in me litem movere eruditum Bettazzium, ex eo quod illuſtrando & ampliando Gregorianam correctionem; nullum verbum dixerim de ſuppoſititia aut vera correctorum hallucinatione, ex Tabulis pruntenicis opinantium, anno 1600 Æquinoctium Vernum contigiſſe die 20 Martii, horâ circiter nonâ poſt meridiem, neque de ejus nova Epochâ ſolari ad annum 1700 tranſlata, neque de ejus Epitome operis Paſchalis uſque modò à me inauditâ. Quia tamen ad certamen me provocavit, meum ſenſum aperiam & dico, tranſlationem ſolaris Epochæ Gregorianæ à centeſſimo anno 1600 ad annum 1700, ad praxim reducere nullatenus expedire, multiplici ratione.

1. Quia, ex ejus Sententia, nulla eſt neceſſitas; cum Æquinoctium Vernum à civili die 21 Martii uſque ad annum Domini quinquies milleſimum & ultra non ſit receſſurum, abſque eo quòd ad eamdem diem ſua ſponte non revertatur. Dedeceret Summum Pontificem prævenire malum quod non adeſt, tranſlatio Epochæ ſolaris ad annum 1700, nullum commodum ſolemnitati Paſchali conferre poteſt uſque ad ſæculum poſt annum 2000, ad quid eam modo anticipare, poſteris potiùs relinquenda.

2. Quia ejuſmodi immutatio eſſet contra decretum Gregorii XIII, qui in ſuo Diplomate *inter graviſſimas*, expreſſis verbis ſtatuit, Epocham ſolaris cycli 400 annorum, anno 1600 eſſe præfigendam, ait enim immortalis memoriæ Pontifex, *ne in poſterum à XII Calendas Apriles, hoc eſt, à 21 Martii, Æquinoctium recedat, ſtatuimus, Biſſextum quarto quoque anno, uti mos eſt, continuari debere, præterquam in centeſimis annis, qui quamvis Biſſextiles antea ſemper fuerint, qualem etiam eſſe volumus annum 1600, poſt eum tamen qui deinceps conſequentur centeſimi, non omnes Biſſextiles ſint, ſed in quadringentis quibuſque annis primi quique tres centeſimi, ſine Biſſexto tranſigantur: quartus verò quiſque centeſimus Biſſextilis ſit, ita ut anni 1700, 1800, 1900 Biſſextiles non ſint, Anno verò 2000, more conſueto, dies Biſſextus intercaletur.* Hujuſce Pontificii Diplomatis verba, aliorum commentis oppoſita, allegat multumque ponderat Bettazzius, quæ vero ſibimet opponuntur reticet, nulliuſque momenti habet.

3. Quia mutata ejuſmodi Epochâ, cyclus quoque litterarum Dominicalium eſſet immutandus. Siquidem Gregoriano ſyſtemate annus 2000 Biſſextilis, Bettazziano autem, communis tranſigendus erit, tunc ergo neceſſariò immutanda eſſet ſeries litterarum Dominicalium: Si tunc immutanda, nunc proponenda.

4. Bettazziana ſolaris Epochæ tranſlatio nedum elegantiam Gregorianæ correctionis auferret, quâ ſicut Anni expanſi per 4 ex æquo diviſibiles Biſſextiles habentur, eodem plane modo Anni collecti ſeu centeſimi Biſſextiles habendi. Verùm etiam magnam confuſionem, intricatamque temporis rationem futuræ Computationi Aſtronomicæ, ſolari, Lunari atque aliorum planetarum afferret. Siquidem ſi tempore correctionis Bettazziana Epocha ſolaris propoſita & admiſſa fuiſſet, rectius executioni mandata fuiſſet, eximendo 11 dies à menſe Octobre, Annoſque 1600 & 1700 Biſſextiles ſtatuendo, quam ab anno 1582 decem dies detraxiſſe, & poſt 18 annos aliam diem omiſſione Biſſexti ab Anno 1600 detrahere. Nunc autem re Confectâ, publicum commodum intempeſtivæ tranſlationi præferendum.

5. Novam Gregoriani cycli ſolaris Epocham excogitavit Doctiſſimus Bettazzius, quia per ſæculum præteritum complura Æquinoctia in diem 20 Martii, unà cum quartadecima lunâ contigerunt, quæ Lunatio, prima Anni, conſequenter Paſcalis computanda erat; attamen quia ejus quartadecima Luna ad diem 21 Martii non attingebat, Paſchalis ſolemnitas ad ſecundum menſem remiſſa fuit. Præterea ad Gregorianæ Epochæ definitionem conſenſerunt Mathematici correctores; quia ſuppoſuerunt Æquinoctium Anni 1600 contigiſſe die 20 Martii, tribus horis poſt occaſum ſolis, attamen inſignium Aſtronomorum Tabulis deprehenditur, cæleſte Æquinoctium anni 1600, ſub Romano Meridiano contigiſſe die 19 Martii, hora 20 min. 40 ſec. 27 poſt meridiem. Vel die 20 Martii, hora 8. 48' 27'' poſt mediam noctem.

Verum quidem, inſigniores Aſtronomi tempore correctionis, iteratis calculis deprehenderunt, Æquinoctium Vernum plerumque contigiſſe 21 Mar-

Digitized by Google

tii ; maximè diei exordio ab occaſu ſolis aſſumpto ; uti expedit pro ratione Paſchatis. Vraniburgi à Tychone inſigni Aſtronomo, adhibita accurata diligentiâ & exquiſitis inſtrumentis, obſervata fuere Verna Æquinoctia, *uti traduntur à Caſſino Elem. Aſtr. l. 2. cap. 10. pag. 229.*

An. 1584. Biſſ.	Martii 20	hor. 1	min. 21.	poſt merid.
1585.	Martii 20	hor. 7	min. 26.	poſt merid.
1586.	Martii 20	hor. 13.	min. 16.	poſt merid.
1587.	Martii 20	hor. 18	min. 30.	poſt merid.
1588. Biſſ.	Martii 20	hor. 0	min. 51.	poſt merid.

Imo ſecundum Ephemerides Joannis-Antonii Magini Æquinoctium verum contigit. *Ut ait Clavius. cap. 5. n. 3.*

An. 1600. Biſſ.	Martii 20	hor. 8	min. 49	ſec. 33.	poſt merid.
1601.	Martii 20	hor. 14	min. 45	ſec. 36.	poſt merid.
1602.	Martii 20	hor. 20	min. 41	ſec. 20.	poſt merid.
1603.	Martii 21	hor. 2	min. 37	ſec. 20.	poſt merid.
1604. Biſſ.	Martii 20	hor. 8	min. 33	ſec. 0.	poſt merid.

Quibus calculis ex hypotheſi veris, rectè à correctoribus adſcripta fuiſſet ſolaris Epocha anno 1600. Sed recentiores Aſtronomi, breviori anni magnitudine elucubrata atque accuratioribus calculis adhibitis, deprehenderunt, Æquinoctium anni 1600, contigiſſe Martii 19, hor. 20 48' 27" poſt meridiem horis 12 verſus initium menſis magis retroactum quàm calculo veterum Aſtronomorum. Idemque deprehenderetur de aliorum annorum Æquinoctiis. Unde infert Bettazzius, ſolarem Epocham congruentiùs anno 1700 annectendam eſſe, ad plura peccata in Paſchatis definitione vitanda.

Optimè & quaſi demonſtrativè diſcurrit Bettazzius. *Epitome pag. 186.* Sed animadvertat velim, Calendarium Gregorianum omni tempori tam præterito quam futuro ; in quantum fieri poteſt ; accommodatum eſſe exhibendum. Idcirco recentiorum Tabulæ ad omne tempus extendendæ. Si hoc fiat, deprehendet utique, quod dixi in meo opere, *Diſſ. XI. cap. 2.* Tabulas Caſſinianas, procul dubio accuratiſſimas ac recentiſſimas, cum Anno 1740 Pariſiis prodierint, volventibus quidem Annis die 20 Martii Æquinoctium exhibere : At ſi calculus extendatur ultra citraque vulgarem Epocham, deprehendetur Æquinoctium ad 21, 22, 23 ejuſdem Martii retrocedere, adeò ut anno Chriſto anteriori 5042 ad diem 24 Martii pervenit : Deinde ad 23 & 22 aſcendit, ita ut Anno 2000 ante Chriſtum, die 21 Martii deprehendatur. Poſtmodum per longum ſæculorum intervallum videlicet ab Anno ante Chriſtum 2000 ad Annum Chriſti 5400, inter 21 & 20 Martii deprehenditur. Deinde cum naturali curſu Æquinoctium ad 19 & 18 eſſet aſcenſurum, iterum ad 22 & 23 Martii deſcendit, adeò ut anno futuro 6343 Martii 22, & anno 10343, Martii 23 deprehendatur. Itaque eo calculo liquidò patet, hypotheticè admiſſa Bettazziana

Bettazziana Epochâ ſolari anno 1700, futuris correſpectivis ſæculis poſt annum 1600; Æquinoctium, citiùs uno ſæculo receſſurum eſſe à ſede civili 21 Martii, & deſcenſurum ad diem 22, quod eſſet magnum incommodum.

6. Præterea congregationem expoſtulat Bettazzius, & ignorare inſimulat; initio labentis ſæculi, jam fuiſſe congregationem indictam à Clemente XI. felicis recordationis, cujus preſes fuit Eminentiſſimus Cardinalis Norri, Secretarius autem illuſtris Bianchini, ambo inſigniſſimi viri; eo fine ut perpenderetur, an Calendario Gregoriano aliqua emendatio eſſet adhibenda; ne exteræ nationes, tum in Paſchatis celebratione, tum in computo civili à nobis diſſidentes, rationabilem illud rejiciendi anſam haberent. Eminentiſſimus Cardinalis de mandato Pontificis Conſuluit eximium caſſinum peritiſſimum Aſtronomum: Qui re maturè perpenſa, uti par erat, reſpondit. Detractione decem dierum, Æquinoctium vernum ad 21 Martii revocatum, eidem circiter diei perpetuò annexum retineri æquatione trium dierum omiſſorum in 400 annis, quorum Epocha anno 1600 fuit præfixa. Addiditque, tametſi, ſtante ea æquatione, Æquinoctium biduo poſſit dimoveri infra & ſupra videlicet versùs initium vel finem ejuſdem menſis: attamen adeò ſimplex & facilis videtur, ut eam præferendam cenſeat cuilibet alteri, quæ annos Biſſextiles inter communes diſponens, variationem Æquinoctiorum ad unam diem reduceret. *Acad. Pariſ. l. an.* 1701. In ea autem Congregatione, auditis, circa Paſchatis Celebrationem, præteriti ſæculi controverſiis, in urbe & per orbem exortis, Epochas Gregorianas ſolarem atque lunarem intactas relinquentes, nihil novi ſtatuendum duxerunt. Bettazzius autem confidit, ſi modò nova fieret Congregatio, ei omnino faveret, ſuumque ſyſtema amplecteretur: quod minimè veriſimile videtur.

Computum Lunare Gregorianum eſſe immutandum non rectè contendit Bettazzius.

IN computum Lunare Gregorianum vehementiùs & prolixiùs invehit eruditiſſimus Bettazzius, tria præcipuè contendit. Primò, currentes Epactas non eſſe Gregorianas. Secundò, eaſdem Epactas quartaſdecimas Lunas Paſchales non rectè indicare. Tertiò, immutandas eſſe eas Epactas, novoſque cyclos Lunares ab eo commentos eiſque ſubſtituendos, Summo Pontifici proponit. *Prætendit P. Capucinus*, inquit, libel. p. 3. 5. Pretende poi. *currentis temporis Epactas, quartaſdecimas Lunas Paſchales rectè indicare, & eſſe Gregorianas. Ambæ hæ propoſitiones ſunt falſæ.* Itaque contendit Bettazzius, in meo opere binas propoſitiones abſolutè falſas me protuliſſe, quarum una eſt quæſtio facti; alia, eſt quæſtio juris. An volventis temporis Epactæ, à ſede Apoſtolica fidelibus propoſitæ & indictæ, ad deprehendendam quotannis quartamdecimam Lunam Paſchalem, ſint Gregorianæ nec-ne? Eſt queſtio facti. An eædem Epactæ quartaſdecimas Lunas Paſchales rectè

B

annuntient ? eſt quæſtio juris. Utriuſque partem negativam Summo zelo atque ſingulari eruditione ſuſtinet clariſſimus Bettazzius. Quia verò ejus rationes minimè convincunt , eas enucleare expedit.

Epactæ , quibus volventis temporis Eccleſia utitur , ad ſolemnitatem Paſquæ Celebrandam , ſunt Gregorianæ.

QUibus currentes Epactæ non arrident , à Gregorio XIII alienas arbitrantur , vel ut auctoritati Pontificiæ aliquantulus honor non verò debita obedientia deferatur , variis rationibus potiùs levibus indiciis innixi , correctoribus eas attribuunt. Qui verò cyclicas Epactas , currentibus potiores, comminiſci non poſſe arbitrantur ; currentes Epactas ſumma cum laude huic ſapientiſſimo Pontifici tribuentes , ejus nomine Gregorianas appellant. Unicus Bettazzius inter utroſque medium tenens , ait , currentes Epactas fuiſſe Gregorianas ab exordio correctionis anni 1582 uſque ad annum 1699 : Sed anno centeſimo 1700 fuiſſe corruptas , & exinde non eſſe Gregorianas. Ego verò & contra Bettazzium , alioſque novæ correctionis adverſarios , Epactas currentes abſolutè eſſe Gregorianas contendo atque demonſtro.

Siquidem quis ibit inficias , eas Epactas Gregorianas dicendas , quæ ab eodem Pontifice fuere approbatæ , mandatæ , impreſſæ , ejus juſſu per orbem Chriſtianum divulgatæ , & ab ipſomet obſervatæ : ejuſmodi eſſe currentes Epactas , perſpicuè conſtat ex Bulla ipſiuſmet Gregorii. *Inter Graviſſimas.* ubi. *Nos igitur , ut quod proprium Pontifici maximo eſſe ſolet , exequamur : Calendarium , immenſa dei erga Eccleſiam ſuam benignitate , jam correctum & abſolutum hoc noſtro decreto probamus , & Romæ unà cum Martirologio imprimi , impreſſumque divulgari juſſimus.* Quibus verbis liquidò innoteſcit , illud eſſe verum Calendarium Gregorianum complectens lunares æquationes , centeſimis annis adhibendas , atque exhibitas per litteras Epactarum ſeries indicantes ; quod ab eodem Pontifice Romæ impreſſum & ejus juſſu per italiam , aliaque regna Chriſtiana divulgatum fuit : ut omnes Eccleſiæ tum ſæcularium cum regularium eo uterentur ſtatim poſt decem dies exemptos ex menſe Octobre anni 1582 : Sed in eo Calendario , cujus Typum in Martirologio habetur , Series Epactarum ab anno correctionis 1582 ad annum 4900 , ſingulis centeſſimis annis congruentes exhibentur , & ex eo extractæ fuere & extrahuntur Epactæ in Breviariis , Miſſalibus , Martirologiis conſcriptæ , & quotannis primas & quartaſdecimas Lunas Paſchales indicantes. Et eæ Epactæ non erunt Gregorianæ ! Quis credet. Ad contrariam demonſtrationem , proferant adverſarii exemplar Calendarii ſaltem Martirologii impreſſi Romæ tempore Gregorii XIII , ſi illud exemplar Epactarum ſeries diverſas ad iis quæ nunc ſunt , annis centeſimis annexas proferat , vincent adverſarii , ſi ſecùs convincantur & confundantur. Porro ad quid expectare exemplar Calendarii vel Martirologii ? Eam inquiſitionem jam fecit Bettazzius , ingenuèque fatetur , *libel. p. 6. §. or ſi veda.* Nullum

Digitized by Google

inveniſſe, quod non fuerit conforme iis, quæ circumferuntur in libris Eccleſiaſticis & auctorum. Poſt ejuſmodi ultroneam confeſſionem, miror, tantum virum ventillare, me falſo aſſerere, currentes Epactas eſſe Gregorianas.

Sed dicit non nemo, in eodem Diplomate *inter graviſſimas.* Summus Romanus Pontifex ait: *Curavimus, non ſolum Æquinoctium Vernum in priſtinam ſedem, à qua jam à C. Nicæno decem circiter diebus receſſit, reſtituendum; & Quartamdecimam Lunam ſuo in loco, à quo quatuor & eo amplius diebus hoc tempore diſtat, reponendum.* Sed per currentes Epactas Quartædecimæ Lunæ Paſchales, non quatriduo ſed triduo tantùm, versùs menſis initium fuere promotæ; ergo Epactæ currentes non ſunt juxta mentem Gregorii XIII, & conſequenter non ſunt Gregorianæ. Qui ita diſcurrit, perpendat velim, ejuſdem Diplomatis ſubſequentia verba. *Quo item Quartadecima Paſchalis rectè inveniatur, itemque dies Lunæ juxta antiquum Eccleſiæ morem ex Martirologio ſingulis diebus ediſcendi, fideli populo verè proponantur: ſtatuimus ut amoto aureo numero de Calendario, in ejus locum ſubſtituatur cyclus Epactarum, qui ad certam, uti diximus, aurei numeri normam directus efficit, ut Novilunium & Quartadecima Paſchalis vera loca ſemper retineant. Idque manifeſtè apparet, ex noſtri explicatione Calendarii, in quo deſcriptæ ſunt etiam Tabulæ Paſchales ſecundum priſtinum Eccleſiæ ritum, quo certiùs & faciliùs Sacroſanctum Paſcha inveniri poſſit.*

Ex quibus ultimis verbis perſpicuè colligitur. Mentem ipſius Gregorii eſſe, ut ad rectè inveniendum Novilunium & Quartamdecimam Lunam Paſchalem, ejuſque ætatem ſingulis diebus fidelibus in Martirologio annuntiandam, omnes conſulant cyclum Epactarum, Tabulaſque tum perpetuas tum temporarias in ejus calendario contentas: Sed ex iis Tabulis currentes Epactæ extrahuntur, ergo ſunt juxta mentem Gregorii, adeoque Gregorianæ revera appellandæ.

Præterea falsò aſſeritur, currentes Epactas triduo tantùm à veteribus numeris aureis promotas fuiſſe, cum quatriduo versùs initium menſis quandoque promotæ deprehendantur. Ad comprobationem, aſpice mei operis Tabulam V. *veteris Calendarii cum novo collati. p.* 43. in prima columna cujuſque menſis, veteres numeri aurei, in ſextâ autem novi, loco Epactarum, volventi ſæculo currentium, inſcripti habentur: ubi advertere licet, in menſe Martio & aliis menſibus plenis, tametſi verus numerus aureus 19 primæ columnæ annexus ſit diei 5 Martii, & novus aureus numerus XIX, ſextæ columnæ reſpondeat 2 Martii tertiæ columnæ, triduo tantum à veteri promotus; attamen novi aurei numeri XIV, III, XI, XIX, & VIII, in fine Martii & initio Aprilis poſiti, quatriduo à veteribus promoti deprehenduntur.

Idem clariùs advertes, *in Tabul VI. Paſchali Antiqua cum nova collata pag.* 46. Cæteros numeros aureos novi ſtili in ſexta columna poſitos, triduo ab iiſdem numeris aureis veteris ſtili promotos deprehendes; porrò aureos numeros XIV, III, XI, XIX, & VIII quatriduo promotos advertes. Vetus namque aureus numerus 14 primæ columnæ Quartamdecimam Lunam die 12 Aprilis exhibet: novus autem aureus numerus XIV ſextæ co-

Digitized by Google

lumnæ, eamdem Quartamdecimam Lunam die 8 Aprilis aſſignat: inter 12 & 8, quatuor dies interſunt, ſic de cæteris. Itaque prima ratio à Bettazzio allata, ad probandum currentes Epactas non eſſe Gregorianas, *libel. p.* 5. §. *Per eſvilluppare.* Nullius momenti habenda.

Minoris etiam ponderis eſt ſecunda ratio, videlicet, quia Epactarum æquatio à Lilio tradita, ad principes Chiſtianos & celeberrimas quaſque Academias miſſa, & ab iiſdem approbata, ab anno 1582 ad annum *1699* exhibebat Epactarum ſeriem indicatam litterâ E majuſc. Deinde anno 1700 & volventi ſæculo Epactarum ſeriem indicatam litterâ D. majuſc. quæ ſeries, ſingulis annis, aſſignarent Epactas unitate majores iis, quæ ſæculo præterito fuerunt in uſu, & ſunt etiam volventi ſæculo. Ea namque ratio nullius momenti eſt habenda: quia non agitur de Liliano Calendario, ſed de Gregoriano ab eodem Pontifice approbato, Eccleſiæ mandato, ſub ejus oculis impreſſo, atque ejus juſſu divulgato. Principes ac Accademiæ Calendarium Lilianum nec approbarunt nec rejecerunt, ſed rem omnem Gregorii ſapientiæ, & zelo reliquerunt. Aloyſius Lilius omni encomio commendandus, ipſe etenim omnium primus, corrigendi Calendarium & correctum perpetuò ſervandi, rationem excogitavit, viamque aperuit: Sed Gregorius ejuſque Aſtronomi non in omnibus Lilium ſecuti ſunt; in aliquibus ejus Calendarium ad melius immutaverunt. Ad menſes vacuos efficiendos, Epactam 30 omittendam Lilius propoſuerat: Gregorius Epactam 25 cum collateralibus 26 & 24 congeminandam ſtatuit. Lilius, Epocham lunaris Periodi bis mille quingentorum annorum, Anno Chriſti primo annexerat, à quo æquationes congruebant, annis 300, *600*, 900, 1200, 1500, 1800, 2100 & 2500: Ei Epochæ anni Chriſti primi, Epactarum ſeriem N. majuſc. præfixit; è qua, recto computo, anno correcto 1582 & *1600* Epactarum ſeries E majuſc. & anno 1700 ac 1800 ſeries D majuſc. congruiſſet: Gregorius autem cum ſuis Aſtronomis, re maturiùs perpenſa, ejuſmodi periodi Epocham anno Chriſti 550 annectendam cenſuit, è quâ, æquationes lunares annis 800, 1100, 1400, & 1800 congruerunt: atque præfixa Epactatarum ſerie P. majuſc. anno Domini 500; recto computo, anno correcto 1582 & *1600* ſeries D majuſc. & anno 1700 ac 1800 ſeries C majuſc. congruit. Itaque Gregorianum Calendarium diverſum eſt à Liliano, atque ideo ſecunda ratio allata nullius etiam momenti habenda.

Quid dicendum de nova diſtinctione eruditi Bettazzii. *Libel. pag.* 3. §. *il ſecundo motivo.* Quâ aſſerit, Epactas ab anno 1582 ad annum *1699* eſſe quidem Gregorianas, quia eas adhibuit ipſemet Gregorius per 3 annos, quibus ſupervixit poſt indictam correctionem: Sciebat namque Epactas aſſumendas primis annis correctionis. Sed Epactas ab anno 1700 ad ſubſequentia ſæcula aſſumptas, non eſſe Gregorianas: quia eo anno centeſimo æquatio facienda, perperam ad annum 1800 fuit retroceſſa.

O lepidam excogitationem! Quæ ei in mentem non venit, niſi poſt impreſſionem Epitomes operis Paſchalis, & poſt ſexdecim annorum ſtudium. Adeone Gregorium ignarum exiſtimat, ut neſcierit neque definierit Epactarum ſeriem congruam anno 1700. & ſæculo poſt eum futuro. Sciebat quidem ait Bettazzius, ſed poſt ejus obitum perturbatum atque everſum fuit

Digitized by Google

ejus Calendarium. Quis tantum ſcelus commiſit ? ſe ignorare dicit. Proh Deûm hominumque fidem ! Ad tanti momenti veritatem demonſtrandam, nonne unicum ſaltem exemplar Calendarii vel Martirologii ab ipſomet Gregorio, Summa Curâ Romæ impreſſi, & exinde per orbem Chriſtianum divulgati producere deberet : Antiquorum libros laborioſa inquiſitione ad opus Paſchale ampliandum reperiit, & tam recentis Calendarii vel Martirologii exemplar reperire nequivit. Quæſivi inquit, ſed quotquot præmanibus habere potui, omnia currentibus Martirologiis & Calendariis ſunt conſentanea. *Libel. pag. 6. §. Or ſi veda.* Et ego dico, ejus diſtinctionem eſſe vanam & imaginariam. Omnes ſani judicii cenſent præſens & currens Calendarium, à tempore correctionis fideli populo ab Eccleſia propoſitum, in quo ſolares atque lunares æquationes, ab anno 1582 ad remotiſſima ſæcula traduntur : Et ex quo currentes Epactæ extrahuntur, eſſe vere Gregorianum, ab eodem Pontifice approbatum & promulgatum.

Quid ni hoc firmiter aſſererem, cum ipſemet Clavius Congregationum teſtis & ſocius, de ſuppoſititia illa Calendarii everſione nec verbum dicit, quin imo Calendarium Gregorianum cum tabulis exhibet, eodem plane modo quo jacet in libris Eccleſiaſticis, & paſſim apud auctores. Imo validiſſimis argumentis illud eſſe verum, meliuſque aliis ejus ævo propoſitis propugnat : redditque de omnibus rationem, quomodo & quare Gregorianæ æquationes fuere ita diſpoſitæ, atque omnibus objectis factis & faciendis reſpondet. Adeo ut dicere non vereatur, nihil objici poſſe quod non fuerit præviſum. *Cap. 5. pag.* 83.

Scio equidem laudatum Clavium adhuc viventem de adulterato Gregoriano Calendario ſuſpectum, imo accuſatum fuiſſe à Franciſco Vieta, in expoſtulatione Romæ miſſa, relata in fine libri ejuſdem Clavii. *Accuſavi jam dudum Chriſtophorum Clavium*, inquit Vieta, *de corrupto Calendario Romano*, & infra, *falſæ periodo Claviniane, veram & vere Lilianam & Gregorianam oppoſui.* Scio etiam, clariſſimos viros Theodoſium Rubeum Privernatem S. Theol. & V. I. Doctorem, & Laurentium Caſtellanum Patritium Romanum, in defenſionem Clavii atque calumniæ confutationem ſcripſiſſe. Ubi inter alia Clavii elogia & Vietæ repulſas, ait Caſtellanus *pag. 19. facile eſt animadvertere, Clavius ne, qui uſum Eccleſiæ antiquum retinens tantum ea explicat, quæ in hominum Doctiſſimorum conſeſſu decreta fuere, & Pontificia Gregorius auctoritate ſancivit, an Vieta ſubvertat omnia.* Idcirco omnibus perpenſis, Clemens VIII Vietæ Calendarium perpetuò abrogavit, Claviique explicationes ejus juſſu elaboratas, approbavit. Bullâ *Quæcumque*. Anni 1603.

Tolerabilius profectò eſſet, dicere abſolutè Gregorianum Calendarium tùm in ratione anni ſolaris cum Lunaris minus rectè procedere ; quam dicere, Gregorium hallucinatum, aut ejus Calendarium ab aliquo corruptum fuiſſe. Primum, probabile videri poſſet ; in rebus namque Aſtronomicis major infallibilitas Summo Pontifici quam C. Nicæno minimè tribuenda. Secundum, aut Pontificem incurium & ignarum ; aut alium perverſiſſimum hominem connotat : utrumque pias aures offendit ; nec credibile, neque in facie urbis & orbis poſſibile apparet.

Digitized by Google

Inſtat eruditiſſimus Bettazzius. Revera currentes Epactæ non ſunt Gregorianæ: Quia in æquatione Lunari manifeſtus error deprehenditur. Quod ſic probat. *pag. 6. §. Per dare.* Ad accuratam Lunæ æquationem, à periodo 2500 annorum Julianorum octo dies demendi ſunt, eo ordine, ut ſingulis tercenteſimis annis ab Epocha periodi numerandis, ſingulus dies eximatur; ſed poſt ſeptimam diem demptam, quadringenti anni decurrendi, ut octava dies detrahatur. Hæc propoſitio conſtat & ex Canone Lilii, *in compendio novæ rationis reſtituendi Calendarii.* Et ex decreto 12 Mathematicorum Gregorianorum, cui ſubſcripſerunt omnes; etiam ipſe Clavius, & Gregorio XIII ſubmiſerunt. Die 14 Sept. anni 1580. Cujus verba ſic ſe habent. *Quoniam Novilunia verſus initia menſium in annis 312 & medio fermè regrediuntur una die; æquatio adhibenda eſt ſingulis 300 annis; ne autem negligantur illi reſidui anni & medium, qui in annis 2400. tertiam fere diei partem conficiunt: tunc æquatio illa transferenda eſt in ſequentem centeſimum annum; ita ut tunc in 400 annis æquatio Lunæ adhibeatur, idque in quibuſlibet 2400 annis ſemel tantum fiet.*

Sed hoc decretum, *proſequitur Bettazzius*, non fuit obſervatum à Mathematicis Gregorianis. " Etenim quamvis nec Lilius, nec correctores ullum „ verbum dicant de anno centeſimo, cui ejuſmodi periodi Epocha fuerit „ annexa, ſed tantùm ex eorum decreto deprehenditur, eam annectendam eſſe cuidam anno centeſimo: attamen Epactarum ſeries, indicata „ per litteram D. majuſc. & uſitata ab anno correctionis 1582 ad annum „ 1699, etiam tempore quo ſupervixit Gregorius XIII, connotat eam „ Epocham annexam fuiſſe anno Chriſti 500. Deinde Clavius in laudata „ Calendarii expoſitione, *Cap. 2. num. 6* & 7 ait, eam Epocham annexam „ fuiſſe anno 550: Sed quia Lunæ æquatio Annis centeſſimis tamquam notabilioribus adhibenda eſt, ideo ejuſmodi Epocha, annexa fuit anno „ 500, ſicuti revera ei adſcribitur in omnibus editionibus tum Calendarii „ tum Martirologii, quas præ manibus habere potui. Annexâ igitur ejuſmodi Epochâ anno 500, prima æquatio adhibenda erat, uti revera adſcribitur, anno 800; ſecunda, anno 1100; tertia, anno 1400; quarta „ adhibenda erat anno 1700, attamen ei anno non fuit adhibita, neque in quibuſlibet Tabulis ei adſcribitur, ſed dilata & aſcripta fuit anno „ 1800.

„ Cum igitur, *proſequitur idem Bettazzius*, *pag. 6. §. Eſſendo.* Ab anno „ 1700 ad 1800 dilata fuerit lunaris æquatio, hinc ſequitur, ſpatium 400 „ annorum, quod juxta Lilianum canonem & correctorum decretum, ſolummodo adhibendum eſt à penultima ad ultimam lunæ æquationem, videlicet, in fine ejuſdem periodi, adhibitum fuiſſe illud ſpatium 400 annorum in medio ejuſdem periodi, quâ finita anno 1800, alia reaſſumpta eſt periodus 2500 annorum; adeo ut dictum ſpatium „ 400 annorum, quod ſemel tantùm in fine cujuſque periodi adhibendum eſt, bis adhibeatur in ſpatio 3800 annorum, ab Epocha primæ „ æquationis anni 500 computatorum. Quo errore, perturbatæ fuere veræ „ Epactæ Gregorianæ. Certum eſt igitur, *concludit idem Bettazzius*, ab „ anno 1700, primordio hujuſmodi Epactarum everſionis uſque ad ævum,

„ Epactas currentes non eſſe Gregorianas , neque ullomodo tollerandas.
„ Quicumque hujus Epactarum inverſionis ſit auctor , quem prorſùs ignaro , videtur ex dictis Clavii *allegato cap.* 2. *num.* 6 , 7 & 8. Videtur inquam , eum bona fide egiſſe , atque ejuſmodi periodi Epocham anno Chriſti 550 præfigendo , optimè Epactas diſponere credidiſſe. Cum verò ejuſmodi exordium opponatur menti Gregorii XIII , in ſua Bulla *inter graviſſimas.* Expreſſæ , ultimiſque verbis decreti ſupra allegati , *idque quibuſlibet* 2400 *annis ſemel tantum fiet* , conducat que ad plura abſurda circa Paſchatis celebrationem , tollerari nequit. Itaque currentium Epactarum defenſio à zeloſo P. Capucino allata , nullam firmitatem nec in minima parte habet , urgenſque neceſſitas eas corrigendi viget in ſuo robore , *ita zeloſus Plebanus.*

Mature perpendat peritus lector , ejuſmodi ſpecioſum atque prolixum diſcurſum ; Bettazzii ingenium in eo minimè agnoſcet , cum in multis ſecum pugnet : Vix ejus Parallogiſmum ferre poterit. Decretum lunaris periodi 2500 annorum , à correctoribus editum profert , & ab iiſdem obſervatum fuiſſe negat. Clavius teſtis congregationum & correctorum ſocius , Clementi VIII & Populo Chriſtiano affirmat periodi lunaris Epocham ab anno Chriſti 550 aſſumptam fuiſſe : Bettazzius autem poſt centum quinquaginta annos , bono ac ſimplici corde hoc dixiſſe , atque allucinatum fuiſſe , ſcribit. Omnia , quæ vidit exemplaria tum Calendarii tum Martirologii , fortè quoddam ex Romæ impreſſis ſub oculis Gregorii XIII, æquationem Lunarem anno 1800 exhibent ; & omnia falſata pronuntiat. Ipſemet Pontifex mentem ſuam liquidò aperit , dum pro æquationibus lunaribus atque Epactis , remittit fideles ad Tabulas ab eo traditas : Iubet Bettazzio , eas Epactas menti Gregorii oppoſitas , atque non eſſe Gregorianas mordicùs tenere. Æquationem octavam & ultimam periodi , ſpatium 400 annorum exigentem , anno 1800 annexam fatetur , & eam in medio periodi factam fuiſſe pro certo affirmat. Quot contrarietates ! Quiſnam humanæ affectionis expers , ex præmiſſis aſſertionibus , illationes oppoſitas non deduceret.

Ad majorem fallacis ratiocinii evidentiam , æquationum lunarium annis centeſimis annexarum , ambas Tabulas videlicet Lilianam & Gregorianam profero. Primam , uti traditur in compendio novæ rationis reſtituendi Calendarium, ad principes Chriſtianos & ad celebertimas Academias ad examen miſſo. Secundam, uti traditur in Calendario Gregoriano ejuſque Martirologio ad executionem tranſmiſſo. In utriſque , tres columnas adieci , eaſque vacuas dimiſi ; ut unuſquiſque , oblectamenti gratià , numeros æquationum , Numeros Aureos , Epactaſque annis centeſimis congruentes in eis deſcribat. In prima columna , quædam puncta præfixi , quæ non ſunt in Tabulis , ut lectorum ſublevem laborem ; deſignant enim centeſimos Annos quibus Lunaris æquatio adhibenda fuiſſet , aut adhibitura erit : Duo puncta conjuncta , cujuſque Periodi finem denotant.

Dicit Bettazzius , in iis Tabulis nulla deſignatur Epocha periodi Lunaris , neque Gregoriani Mathematici ullum verbum de ea dixerunt. *p.* 6. §. *Or ſi.* Utique , neque etiam in compendio Lilii ullum verbum de ea habetur :

quia quod oculis tradiderunt in Tabulis, prolixis verbis exprimere, ſuperfluum cenſuerunt. Nonne Betrazzius oculos habet ad videndum? Adeone Lilium atque Mathematicos Gregorianos ignaros ſupponit, ut quod eſt eſſentiale cyclis omiſerint. Si in decreto, Gregorio XIII ſcriptis dato die 14 Sept. anni 1580, de ejuſmodi Epocha mentionem non fecerint, in eorum conſeſſu eam definiiſſe atque à Summo Pontifice approbatam fuiſſe, procul dubio tenendum.

In ratione namque cyclorum inutilis eſſet eorum ordinario, ſi deficeret eorum Epocha vel quaſi Epocha. Ad quid proficeret, cyclum decennovennalem proponere, ejuſque utilitatem extollere, ſi ejus Epocha aut quaſi Epocha non definiretur. Dico quaſi Epocha, quia ſi indicatur tantùm numerus unius anni, numeri reliquorum annorum tam futurorum quam præteritorum facile deprehenduntur. Etenim qui novit annum 1704 eſſe numerum 14 cycli decennovennalis, is Annus cum numero cycli dato eſt quaſi illius Epocha, qua notâ, numeri ejuſdem cycli ceteris annis tam præteritis quam futuris congruentes, liquidò innoteſcunt. Ad quid inſerviret, veterem cyclum octovicenarium litterarum Dominicalium, vel novum 400 annorum ſtatuere, ſi deficeret eorum Epocha, ſaltem numerus cujuſdam anni, cui annexa ſit certa littera Dominicalis, ut ex ea quaſi Epocha cæteræ innoteſcerent: Ad quid in Tabulis Aſtronomicis, ſolis & Lunæ aliorumque Planetarum, medios motus Horis, Diebus, Menſibus, Annis expanſis collectiſque rectè diſtribuere: Si deficiat Epocha è qua computum ſit ineundum. Imo major difficultas, major ſcientia, & attentio in definitione Epochæ cyclorum eſt adhibenda, quam in eorum commento.

Propterea dico, Epocham aut quaſi Epocham lunaris Periodi 2500 annorum, è qua pendet rectitudo aut deformitas cujuſlibet Calendarii, à Lilio traditam fuiſſe; atque in conſeſſu Aſtronomorum correctorum fuiſſe definitam, Gregorio Pontifici propoſitam, ab eodem approbatam, atque per impreſſionem promulgatam fuiſſe. Quam Epocham à quodam immutatam fuiſſe falsò & calumnioſè aſſerit Betrazzius.

Ubinam eſt ea Epocha? in ipſiſmet Tabulis à Lilio & Gregorio traditis; Implicitè quidem, ſed liquidò & certò exhibetur. Sed in iis Tabulis, tantùm anni centeſimi & litteræ indicantes Epactarum ſeries iiſdem Annis & Sæculis poſt eos congruentes inſcribuntur; quomodo ex iis, lunaris periodi Epocha deprehendi poteſt? eo modo. Anni centeſimi ſunt vel communes vel Biſſextiles; ſi communes, ubicumque eadem littera proximè ſuperioris centeſimi reponitur, ſignum certum & infaillibile, ei anno adhibitam fuiſſe æquationem lunarem; quâ fuit facta compenſatio ſtatûs lunæ cum ejus ſaltu. Si Biſſextiles, ubicumque non eadem littera proximè præcedentis centeſimi, ſed littera ei ſuperioris adſcribitur; ſignum manifeſtum, ei anno centeſimo æquationem lunarem fuiſſe factam. Deinde cognitis in Tabella annis centeſimis: quibus juxta auctorum placitam opinionem, lunaris æquatio fuit adhibita, liquidò innoteſcet ſpatium trecentorum vel quadringentorum annorum inter æquationes decurſum vel decurrendum. Ubicumque autem quadringentorum annorum ſpatium deprehendetur, ſignum certum & evidens, eo anno abſolvi periodum lunarem

2500

TABULA LILIANA
Æquationis cycli Epactarum perpetui.

Æquat.	Anni Domini.	Series.	Nu. aur.	Epactæ.
	1	N		
•	325	P		
•	600 B.	a		
•	900 B.	b		
•	1200 B.	c		
•	1500 B.	d		
	Nov. Stil.			
	1582	E		
	1600 B.	E		
	1700	D		
•	1800	D		
	1900	C		
	2000 B.	C		
•	2100	C		
	2200	B		
	2300	A		
	2400. B.	A		
• •	2500	A		
	2600	u		
	2700	t		
•	2800 B.	u		
	2900	t		
	3000	ſ		
•	3100	ſ		
	3200 B	ſ		
	3300	r		
•	3400	r		
	3500	q		
	3600. B.	q		
•	3700	q		
•	3800	p		
	3900	n		
•	4000 B.	p		
	4100	n		
	4200	m		
•	4300	m		
	4400 B.	m		
	4500	l		
•	4600	l		
	4700	k		
	4800 B.	k		
	4900	i		
• •	5000	i		

TABULA GREGORIANA
Æquationis cycli Epactarum perpetui.

Æquat.	Anni Domini.	Series.	Nu. aur.	Epactæ.
	1	N		
	120 B.	P		
•	500 B.	P		
•	800 B.	a		
•	1100 B.	b		
•	1400 B.	c		
	Nov. Stil.			
	1582	D		
	1600 B.	D		
	1700	C		
• •	1800	C		
	1900	B		
	2000 B.	B		
•	2100	B		
	2200	A		
	2300	u		
•	2400 B.	A		
	2500	u		
	2600	t		
•	2700	t		
	2800 B.	t		
	2900	ſ		
•	3000	ſ		
	3100	r		
	3200 B.	r		
•	3300	r		
	3400	q		
	3500	p		
•	3600 B.	q		
	3700	p		
	3800	n		
•	3900	n		
	4000 B	n		
	4100	m		
	4200	l		
•	4300	l		
	4400 B.	l		
	4500	k		
•	4600	k		
	4700	i		
	4800 B.	i		
•	4900	i		
	5000	h		

2500 an. Annumque proximè ſubſequentem eſſe caput & exordium alterius periodi, à quo tam infra quam ſupra, Epocha ejuſmodi periodi certò colligitur, quia ut dicitur in decreto allegato. *Ne autem negligantur illi reſidui anni 12 & med. qui in annis 2400 tertiam diei fere partem conficiunt: Tunc æquatio illa transferenda eſt in ſequentem centeſimum annum, ita ut tunc in 400 annis æquatio lunæ adhibeatur, idque in quibuſlibet 2400 annis ſemel tantùm fiet.* Si poſt 2400 annos periodi, æquatio illa transferenda ſit in ſequentem centeſimum, profectò ille centeſimus annus erit ultimus Periodi annorum 2500.

His poſitis, perpendat peritus computiſta in Tabella Liliana, quibus centeſimis Annis fuit adhibita æquatio Lunæ. In ea Tabella, Anno Æræ vulgaris 1 annexa eſt Littera N majuſcula, indicans in Tabula expanſa, *quæ in meo opere numero VII, pag.* 74 *habetur*, ſeriem Epactarum congruentem primo Chriſti ſæculo, juxta veterem ſtilum & Lilii opinionem. Deinde Anno 325 Littera P. ſuperior præcedenti aſſignatur: Ergo Lunæ æquatio huic Anno & ſæculo poſt eum adhibenda fuiſſet, quam æquationem notabis unico Puncto in columna vacua. Ea æquatio adhibenda fuiſſet Anno 300, ſed reſpectu C. Nicæni Anno 325 adſcribitur. Anno 600 Biſſextili, littera a minuſcula, Anno 900 Biſſ. littera b. Anno 1200 Biſſ. littera c. Anno 1500. Biſſ. littera d. Hi omnes Anni ſunt veteris ſtili & unicuique littera ſeriei Epactarum, annectitur; iis igitur annis facienda fuiſſet æquatio Lunæ; nota illos totidem punctis in prima columna vacua. Deinde Anno correctionis 1582, demptis decem diebus, præfigitur Epactarum ſeries indicata per litteram E majuſc. Proſequere, Anno centeſimo 1800 communi adſcribitur littera D majuſc. eadem præcedentis centeſimi anni 1700, ea littera iterata deſignat, eo Anno Lunæ æquationem adhibendam eſſe; ideoque notandus puncto. Similiter Anno centeſimo communi 2100 eadem littera præcedentis centeſimi nempe C majuſc. reponitur, ſignum æquationis puncto notandæ. Anno 2500 communi eadem littera præcedentis centeſimi videlicet A majuſc. præfigitur, ſignum etiam æquationis puncto notandæ. Anno 2800 Biſſextili, non eadem littera, ſed alia præcedenti ſuperior ſcilicet u adſcribitur, ſignum quoque æquationis Lunæ puncto notandæ. Anno 3100 communi eadem littera s præcedentis centeſimi præfigitur, ſignum etiam æquationis puncto notandæ. Simili modo proſequere uſque ad annum communem 2500, cui eadem littera i præcedentis centeſimi eſt annexa, quod eſt ſignum æquationis notandæ.

Quibus expletis animadverte, ubinam ſpatium quadringentorum annorum reperitur; deprehendes illud ſpatium eſſe inter Annos 2100 & 2500, atque 4600 & 5000: Ex quo colliges Annum 2500 futurum eſſe ultimum primæ Periodi Lilianæ, cui adhibita fuit poſt quadringentos annos octava æquatio Lunæ. Propterea in prima columna vacua, duo puncta ei adſcribes atque numerum 8. Anno 2100 numerum 7. Anno 1800, numerum 6. ſicque aliis centeſimis annis notatis punctis aſcendendo numeros convenientes adſcribes. Idem facies centeſimis Annis notatis punctis, deſcendendo: Anno 2800 numerum 1 præfiges. Anno 3100 numerum 2. Et Anno 2500 numerum 8. Ex quo liquidò colliges, Lilium præfixiſſe

primæ periodi Epocham, Anno primo Æræ vulgaris. Quod dico, obſcurum & difficile ſciolis videbitur, peritis autem computiſtis clarum & expeditum.

In eadem Liliana Tabella aliud animadvertendum occurrit. In compendio novæ rationis dicitur. *Quoniam non exactè* 300 *illis annis unus debetur dies, duodecim enim anni & ſex menſes deſiderantur.* Atque in decreto Correctorum additur, *Quoniam Novilunia versùs initia menſium in Annis* 312 *& medio fermè regrediuntur una die, æquatio adhibenda eſt ſingulis* 300 *Annis, ne autem negligantur reſidui illi anni* 12 *& medium, &c.* Ex his liquidò infertur, primam lunarem æquationem, quæ publici commodi gratiâ, adhibetur anno 300 Lunaris periodi, reſpondere Anno 312 & ſemis: ſecundam æquationem Anno 600 præfixam, competere Anno 625: Tertiam Anno 900 annexam, convenire Anno 937 & ſemis: Quartam Anno 1200 adſcriptam, congruere Anno 1250: Quintam Anno 1500 præfixam, reſpondere Anno 1562 & ſemis: Sextam Anno 1800 adhibendam, competere Anno 1875: Septimam, Anno 2100 annexam, congruere Anno 2187 & ſemis; Octava demum æquatio, poſt quadringentos Annos Anno 2500 eſt adhibenda. Ex dictis liquidò patet, Lunaris Periodi Epocham, Lilium præfixiſſe, Anno 1 Chriſti, à quo ultra & citra, videlicet Annis Chriſto anterioribus & poſterioribus eſt protendenda. Si autem *in compendio novæ rationis*, De ea nulla fiat mentio; ideo, quia in Tabula, oculos habentibus ad videndum implicitè tradebatur.

Perpenſâ æquationum Lunarium Lilianâ Tabellâ, Gregorianam ad calculum advocemus. In quo calculo eruditum Bettazzium conjudicem appello. In ea Tabella, ab ipſomet Gregorio XIII tradita atque per impreſſionem novi Calendarii in Martirologio promulgata: Anno vulgaris Epochæ 1, primoque Chriſti Sæculo Epactarum ſeries litterâ N majuſc. indicatâ, & Anno 320 Biſſ. ſeries P majuſc. annectitur. Quæ ſeries, non recto calculo Gregoriano ſed Liliano, iis Annis appoſitæ fuere. Cum namque Sæculo Nicæno, Epactis à ſerie P indicatis, Neomeniæ civiles ſive Novilunia nimis accuratè cœleſtibus Noviluniis occurrebant: quæ res Paſchalem Celebritatem Sæpius in Lunam XIV conferebat: idcirco Correctores, Annum Chriſti 550 quaſi Epocham cycli Lunaris aſſumentes, Anno 500 eamdem Seriem P majuſc. adſcripſerunt; quia ſoli centeſimi Anni in Tabula inſcribuntur. Deinde veteris ſtili Annis Biſſextilibus 800, 1100, 1400, Epactarum ſeries a, b, c minuſc. adſcribuntur. Iis Annis in prima columna vacua puncta adjungenda, ad deſignandas Lunares æquationes in iis ex hypotheſi factas. Poſtea anno correctionis 1582, demptis decem diebus, præfigitur Epactarum ſeries indicata per litteram D majuſc. quæ ſeries ex præcedenti rectè infertur.

Dein nulla æquatio facta deprehenditur. Niſi anno communi 1800, cui iteratò annectitur præcedentis centeſimi Epactarum ſeries C majuſc. ideoque is annus puncto annotandus. Examen proſequendo, animadverto anno communi 2100, eamdem littera B præcedentis centeſimi reponi, ſignum æquationis puncto notandæ. Similiter anno Biſſextili 2400, non eadem littera præcedentis centeſimi, ſed alia ei ſuperior videlicet A majuſc.

præfigitur, ſignum etiam æquationis puncto annotandæ. Anno communi 2700 eadem littera t præcedentis centeſimi annectitur, ſignum evidens æquationis puncto notandæ. Ita proſequere uſque ad finem Tabellæ, deprehendes, æquationes punctis notandas fore annis centeſimis 3000, 3300, 3600, 3900, 4300, 4600, 4900. Quibus expletis animadverte, ubinam ſpatium 400 annorum inter puncta reperitur: deprehendes illud ſpatium eſſe inter annos 1400 & 1800, atque inter annos 3900 & 4300. Ex quo colliges, annum 1800 fore ultimum primæ Periodi Gregorianæ, cui ex hypotheſi adhibenda erit octava Lunæ æquatio. Quapropter in prima columna vacua duo puncta vel numerum 8 ei adſcribes, & anno 1400 numerum 7: anno 1100 numerum 6; anno 800 numerum 5: & anno 500 numerum 4. Anno autem 320 nullum numerum adſcribes, quia trecentis annis non diſtat ab anno 500, neque anno 1 propter eamdem rationem, illi enim anni ut jam dixi, ad quoddam Tabellæ complementum à Correctoribus appoſiti ſunt. Similiter anno 4300 duo puncta vel numerum 8 adſcribes, aliiſque ſuperioribus centeſimis annis puncto notatis, æquationum numeros congruentes appones.

Ex his infert Bettazzius, Epocham Lunaris Periodi à Correctoribus definitam fuiſſe anno Chriſti 500: in quo, an bona vel mala fide allucinetur, ejus ſit judicii: cum namque in ſimilibus Tabulis, eædem æquationes à Clavio, Lunulis; à Petavio Aſteriſcis ſignentur, ratio eſt dubitandi. Sciat itaque Bettazzius, annum 500 non eſſe Epocham ſeu Radicem Lunaris Periodi, ſed tantùm quaſi ejus Epocham traditam à Gregorio XIII, ejuſque Correctoribus: quà cognitâ, periti computiſtæ veram ejus Epocham & exordium expeditè deprehendere poterunt. Cum eo anno 500 quarta periodi æquatio ex hypotheſi fuerit adhibita, ex dictis ſuprà patet eum annum fuiſſe periodi numerum 1200, cujus æquatio revera reſpondet anno 1250. Ideo verè dicit Clavius, periodi Lunaris 2500 annorum Epocham meliùs quaſi Epocham, præfixam fuiſſe à Gregorio XIII ejuſque Correctoribus anno Chriſti 550.

Inquiret aliquis, quænam fuit Radix vel Epocha primæ Lunaris Periodi à Correctoribus aſſumpta? Reſpondeo, juxta rectum calculum eam Epocham annexam fuiſſe, anno 700 ante Æram vulgarem, à quo anno 700 æquationes adhibendæ fuiſſent annis Chriſto anterioribus: Prima, anno 401: ſecunda, anno 101: Tertia anno poſt Chriſtum 200. Quarta, anno 500. Quinta, anno 800. Sexta, anno 1100. Septima, anno 1400. Octava & ultima poſt quadringentos annos, anno 1800. Ea computandi ratio certa & evidens peritis computiſtis videbitur.

Ad hæc, quid opponet Bettazzius? Tam liquida & evidens Tabellæ Gregorianæ explanatio, nonne eum perturbabit? Dicetne defenſionem allatam à P. Capucino, nullam nec in minima parte firmitatem habere? Dicetne eam Epocham opponi menti Gregorii XIII, & Epactas currentes ex ea extractas non eſſe Gregorianas? Proclamabit ne, ſpatium 400 annorum ſemel tantùm in fine cujuſque Periodi adhibendum, bis fieri in ſpatio 3800 annorum? &c.

Inferiùs ſedulò perpendemus, quamnam Epocham ejuſdem Lunaris Pe-

Digitized by Google

riodi aſſignet in ſuis cyclis eruditus Bettazzius. Quibuſnam etiam centeſinis annis æquationes Lunares adhibeat: an etiam obſervet Canonem Lilii, & Correctorumque decretum, quod magni extollit. Interim concludendum; currentes Epactas deductas ex Tabullis à Gregorio XIII traditis, & ex Calendario ab eodem approbato, impreſſo, promulgato & Chriſti fidelibus obſervandum mandato, eſſe verè Gregorianas. Quod erat probandum.

Gregorianæ Epactæ Quartaſdecimas Lunas Cyclares rectè annunciant.

Triplex Quartadecima Luna diſtinguenda, videlicet Vera, Media & Cyclaris. Quod de ea Luna dicitur de Novilunio & de Plenilunio ac de tota Lunari ratione intelligendum. Vera Quartadecima Luna ea eſt, quæ, à momento veræ conjunctionis ſolis & Lunæ Quartumdecimum diem attingit, ſive Plenilunium ea die contingat ſive non. Cum ſolis & Lunæ veri motus, quo ad nos, ſint inæquales & valde irregulares, vera Plenilunia modò citiùs, modò tardiùs contingunt; adeo ut ſicut dixi, *Diſſ. XI. cap. 9. pag.* 191. ex 235 veris Noviluniis, quæ per cyclum Decennovennalem fiunt.

17, Ad Plenilunia proxima pervenerunt, ante 14 dies completos.

74, Ante 12 Horas poſt 14 dies ſolidos.

47, Poſt 12 Horas, ſed ante 15 dies completos.

60, Ante 12 Horas poſt 15 dies ſolidos.

37, poſt 15 Dies & 12 Horas.

Ita tamen ut à Novilunio ad Plenilunium Brevius ſpatium

fuerit,	13 Dierum & 23 Hor.
prolixius,	15 Dierum & 15 Hor.

Cum veri motus Lunæ-Solares ſint adeò inæquales, neque à Synagoga neque ab Eccleſia, vera XIV Luna ad Paſchatis rationem umquam nec uſquam uſurpata fuit.

Media Quartadecima Luna ea eſt, quæ à momento conjunctionis mediæ ad Quartumdecimum diem numeratur. Tametſi medii motus Lunæ-Solares ſint æquales & uniformes, atque Plenilunium in medio Lunationis ſemper exhibeant: nihilominus quia dies civiles fixum exordium habent, medii autem motus propter fragmenta horarum atque minutorum, à quavis Hora nocturna vel diurna diem incipiant: quia etiam mediorum motuum computatio Aſtronomorum controverſiis expoſita, non eſt popularis: ideo ad rationem Paſchatis numquam fuit uſurpata.

Præterea cum termini Paſchales tam primæ quàm quartadecimæ Lunæ à C. Nicæno deffiniti, 29 dies tantùm colligant, videlicet pro prima Luna, ab 8 Martii ad 5 Aprilis incluſivè; pro 14 Luna, à 21 Martii ad 18 Aprilis etiam incluſivè: Lunatio autem media, ſive à conjunctione ad aliam conjunctionem, ſive ab oppoſitione ad aliam oppoſitionem computetur, conſtet Dieb. 29, Hor. 12, min. 44, ſec. 3. Quandoque contingit, intra ter-

minos Paſchales nullam Neomeniam mediam, nullamQuartamdecimam Lunam, nullumque Plenilunium medium deprehendi; ideoque motus medii ad rationem Paſchatis perfectè accommodari nequeunt

Cyclaris Quartadecima Luna eſt ea dies civilis, quæ ex cyclo ab unaquaque gente prælecto colligitur. Itaque a C. Nicæno ad tempus correctionis, Quartadecima cyclaris Luna ea dicebatur; quæ à prima Lunâ incluſivè per Numeros Aureos in Calendario indicatâ, numerabatur. A correctionis tempore, ea Quartadecima cyclaris Luna dicitur, quæ à prima Lunâ per Epactam annuam in Calendario deprehensâ, colligitur. Civilis hominum ſocietas, Lunares menſes ad negotia gerenda adhibens, ſicuti priſcis temporibus omnes ferè nationes ab exordio mundi faciebant, numquam & nuſquam à motu Solis & Lunæ vero, mediove; ſed à quodam cyclo, ex Variis obſervationibus collecto, menſes annoſque Lunares digerebant. Menſes quidem 30 & 29 dierum alternis computabant, annis verò Lunaribus, emboliſmicos menſes identidem inſerentes, ſolaribus ut cumque eos coæquabant.

Nunc autem dico, cyclum Epactarum Gregorianarum Quartaſdecimas Lunas cyclares, nedum Paſchales, verùm etiam cæterorum menſium, rectè indicare: adeo ut cum Nicolao Mullero dicam, omnibus perpenſis, exactiorem methodum cyclicam excogitari poſſe, non exiſtimem.

Quo circa Clavius, ſociorum Correctorum nomine, appoſitè dixit. *Cap.* 18. *n.* 2. *pag.* 346. Alii concedentes Paſcha Celebrari poſſe Luna Quintadecima ſeu in Plenilunio, propter uſum Eccleſiæ perpetuum, nimis pertinaciter affirmant, Lunam Quartamdecimam eſſe eum diem, qui oppoſitionem veram proximè antecedit. Sed ne hoc quidem verum eſt, cum Eccleſia veros motus numquam conſideret, imo neque medios, ſed cyclos tantùm, ut cap. 4. abundè copioſeque demonſtravimus. Profectò ſi hæc ſententia eſſet vera, actum foret de omnibus cyclis, cum nullus reperiri poſſit, ut poſtea dicemus, qui ita in Calendario diſponatur, ut ejus Lunæ Quartædecimæ uno die veram oppoſitionem, vel etiam mediam ſemper præveniant. Luna igitur Quartadecima ſumitur ab Eccleſia pro die 14 Lunationis Paſchalis, numerando eam incluſivè à Neomenia ſive à principio menſis Lunaris Paſchalis, hoc eſt, ab ea die, cui præfixus eſt numerus cycli decennovennalis, qui in propoſito anno Novilunia indicat in Calendario; ſive is dies congruat cum conjunctione ſolis & Lunæ verâ mediave, ſive ab ea diſcrepet. Quod confirmatur ex omnibus, qui de feſtorum mobilium celebritate ſcripſerunt, clariſſimèque ex antiqua Tabulâ Paſchali, aliorumque Mobilium Feſtorum, quâ ſemper Eccleſia ante hanc correctionem uſa eſt, apparet: in qua aureus quilibet numerus, ei diei menſis Martii aut Aprilis præfigitur, qui quartusdecimus eſt incluſivè à Novilunio, quod per eumdem aureum numerum in Calendario deſignatur, & poſt quem proximè adveniens Dominicus dies Sacroſanctum Paſcha exhibet. Atque hoc non ſolum in Eccleſia occidentali, verùm etiam in Orientali ſemper obſervatum eſt; quod probatum eſt ex eo, quod nulla unquam ante hanc Calendarii reſtitutionem diſſentio aut varietas in Paſchæ celebratione inter Orien-

Digitized by Google

„ tales atque Occidentales extitit, quod nulla ratione contigiſſet, niſi
„ eodem modo Luna xiv fuiſſet accepta, hoc eſt, ab ipſa Neomenia
„ cycli incluſivè numerata.

„ Quamquam autem Eccleſia in Novilunio & Luna 14 ex eo inquiren-
„ da, neque veros motus neque medios, ſed eos ſecundùm cycli or-
„ dinem duntaxat metiatur: negandum tamen non eſt, medias oppoſi-
„ tiones ex Tabulis Aſtronomicis inventas, maximè eſſe utiles ad perpen-
„ dendum & dijudicandum, quiſnam cyclus è pluribus ſit eligendus, & in
„ Calendario deſcribendus, ad Lunas xiv Paſchales perveſtigandas. Is
„ enim ex omnibus aſſumendus eſt, cujus numeri adhibita ſuis tempori-
„ bus æquatione, perpetuò in Calendario ita Neomenias ſive Novilunia,
„ atque ex iis Lunas xiv primi menſis ad Sacroſanctum Paſcha ritè ce-
„ lebrandum oſtendant, ut nulla umquam Luna xiv Paſchalis à Novi-
„ lunio incluſivè numerata, duobus aut pluribus diebus oppoſitionem
„ mediam præcurrat, ſed vel uno tantùm, vel certè in ipſum Plenilu-
„ nium medium incidat, vel ſaltem non multò poſt conſequatur. Quam-
„ vis nec de hoc quidem magnopere laboret Eccleſia, ut videlicet tam ac-
„ curatè ac ſtudioſè exquiratur Luna xiv Paſchalis; quia ei ſatis eſt, ut
„ omnes obſervent ubique diem Lunæ xiv à Novilunio cycli numeratum,
„ licèt interdum pluſquam uno die oppoſitionem medium præveniat aut
„ inſequatur. In noſtro certe cyclo Epactarum, quanta maxima potui-
„ mus curâ ac diligentiâ obſervare conati ſumus, ut per dies Calendarii
„ diſtributus, Novilunia indicet, quæ ſubſequantur fermè conjunctiones
„ Luminarium veras ac medias tanto ſpatio, quantum ſatis eſt, ut Lunæ
„ xiv Paſchales, vel uno tantùm die medias oppoſitiones præveniant,
„ vel in eaſdem omnino incidant, vel denique non longè poſt illas con-
„ tingant. Neque hoc temere aut caſu factum eſt à nobis, ſed de induſ-
„ tria ac magno Conſilio. Si namque prima dies menſis Lunaris ex cyclo
„ foret ea, in qua verum Novilunium Tabulæ Aſtronomi æ exhibent,
„ (quod computiſtæ accenſionem Lunæ dicunt,) non autem ea, quæ
„ Novilunium Aſtronomicum uno die plus minus ſubſequitur, accideret
„ ſæpenumero, ut ſanctum Paſchæ diem celebraremus, non ſolum Lu-
„ na xiv, hoc eſt, uno die ante Plenilunium unà cum judæis & Quarta-
„ decimanis Hæreticis, quod abſurdum foret: verùm etiam interdum,
„ quod eſſet abſurdiùs, ante hujuſmodi Lunam xiv. Ita Clavii calamo
juxta mentem Gregorii XIII Correctores ſe expliquant, eorumque explica-
tionem, totamque novi Calendarii rationem, Diplomate *Quæcumque*.
Clemens VIII adaptavit atque firmavit.

Ad hæc inardeſcet zelus eruditi Bettazzii, Clavium Correctores ſummoſque Pontifices Gregorium atque Clementem; ſub meo nomine aggrediens, eorumque auctoritates peſſumdans; currentes Epactas Quartaſdecimas Lunas non rectè enunciare, contendit. Siquidem, inquit, iis dirigentibus bina Paſchata in eodem anno celebrantur; menſium Emboliſmorum ordo perturbatur, Ogdoas in Hendecadem & Hendecas in Ogdoadem confunduntur. Inde ſolemnia Paſchalia interdum Hedomadâ, perperàm differuntur: quandoque menſe ſolido maturantur.

Digitized by Google

Ut currentium Epactarum vitia perſpecta exhibeat, tria principia ſtatuit eximius Bettazzius. Primum, Dies civiles Lunares in materia Paſchali à ſolis occaſu ad occaſum computandi. Secundum, Quartadecima Paſchalis eſt ea dies civilis, quæ proximè præcedit diem in qua contingit medium Plenilunium. Tertium, Menſis Paſchalis primuſque anni ſacri non eſt ille, in quo Quartadecima Luna media ante diem 21 Martii contingit. Ea tria principia ſpeculativè vera, *in Epitome operis Paſchalis*, ſtatuit Bettazzius, roboratque multiplici auctoritate SS. Patrum Græcorum ac Latinorum: Eamque eſſe Doctrinam Catholicam dictitat. Quibus poſitis varia peccata primæ, ſecundæ & tertiæ claſſis in Grægoriano Calendario connumerat.

Porro hæc dicendo, non omnia perpendit; minimè attendit, Græcos Latinoſque Patres, atque veteres computiſtas, ea principia ſpeculativè & Aſtronomicè ſtatuentes, neſciiſſe ad cyclum reducere; ad primas Quartaſdecimaſque Lunas deprehendendas. Aureorum Numerorum cyclum nobis prodiderunt: quo vigente, à C. Nicæno ad tempus correctionis, ſumma omnium confuſio in Calendario fuit.

Non attendit etiam, Correctores eadem principia ſpeculativè & Aſtronomicè vera ſtatuiſſe, quibus egomet in meo opere aſſentior, nec ullibi contradico. Nihilominus cum ad cyclum perpetuum reducenda eſſent, ore Clavii omnes dicimus. *In noſtro certè cyclo Epactarum, quanta maxima potuimus curâ ac diligentia obſervare conati ſumus, ut per dies Calendarii diſtributus, Novilunia indicet, quæ ſubſequantur fermè conjunctiones Luminarium Veras ac Medias tanto ſpatio, quantum ſatis eſt, ut Lunæ* XIV *Paſchales, vel uno tantum die medias oppoſitiones præveniant, vel in eaſdem omnino incidant, vel denique non longè poſt illas contingant.*

Ubi advertere licèt difficultatem, imo humanam impoſſibilitatem, cyclum excogitandi, quo dies civiles veris aut medis Luminarium motibus omni ex parte congruant. Tum quia ſecundùm cyclos, Lunationes complectuntur dies integros, veri autem etiamque medii motus, præter dies ſolidos, Horas aliquot, Horarumque fragmenta continent. Tum etiam quia Annis Biſſextilibus cyclares Lunationes uno die ſunt tardiores poſt diem intercalarem, cujus ratio haberi nequit, niſi pluribus jam annis elapſis. *Clavius c.* 4. *p.* 69. ideoque ſumma prudentia, mediam viam inſequentes cum Epactarum cyclum elegerunt Correctores; quo Lunæ XIV Paſchales, vel uno tantùm die medias Luminarium oppoſitiones prævenirent, vel in eaſdem omnino inciderent, vel denique non longè poſt illas contingerent. Atque addunt, *neque hoc temerè aut caſu factum eſt*, minùs ignorantiâ, quâ ſubobſcurè eos notare videtur Bettazzius, *ſed de induſtria ac magno Conſilio.*

Inde plura incommoda eveniunt, Clamitat Bettazzius, cùm principia data de quartadecima Luna media cum quartadecima cyclari non concordent? Audiat Correctores dicentes. *Quæ cùm ita ſint, fruſtra quidam tam acerbè & Contumelioſè in Calendarii novi reſtitutionem invehuntur, cum nihil ei opponant objiciantve, quod non ante editum Calendarium fuerit praviſum. Idem c.* 5. *pag.* 83. Audiat eoſdem addentes ibidem,

nec

Digitized by Google

Nec de hoc magnopere laborat Eccleſia, ut videlicet tam accuratè ac ſtudioſè exquiratur cyclaris Luna XIV *Paſchalis: quia ei ſatis eſt, ut omnes obſervent ubique diem Lunæ* XIV *à Novilunio cycli numeratam, licèt interdum pluſquam uno die oppoſitionem præveniat aut inſequatur.*

Quibus verbis, Eccleſiæ zelum ſecundùm ſcientiam maximè elucet. Ipſa enim tricas illas de Quartadecima Luna Paſchali judæis dimittit, qui præceptis legis inſuper adjiciendo, plura indicebant de præcepto, quæ Deus non mandaverat. Excolabant culices, ne contaminarentur; Mentam & Anetum decimabant; Sabbato hominem ſanare, aut in bello ſe deffendere, nefas cenſebant; rationabile obſequium deo præſtat Eccleſia. Profectò, SS Patres, Græci atque Latini, nec-non Computiſtæ omnes, ipſemet Zeloſus Bettazzius mecum convenient: Doctrinam Catholicam eam eſſe, quæ in Concilio Cæſarienſi, Auctoritate Victoris primi Papæ & Martiris, Anno Domini 198 celebrato, proclamata fuit. Ubi. *De Luna preceptum divinum teneatur mandatum per Moyſen ſit vobis obſervatum, à XIV Luna uſque ad vigeſimam primam. Has ergo ſeptem Lunas in Paſcha ſimiliter tenendo, conſtat fuiſſe conſecratas. Quando ergo ſit dies Dominicus & Luna ex illis ſeptem ſanctificatis, convenit nobis Paſcha, ut juſtum eſt, obſervare, in Chriſto Jeſu Domino Noſtro.*

Jam ergo divinum expendamus præceptum, & ediſcemus quomodo Quartadecima Luna Paſchalis ſit obſervanda. Primum quippe Paſcha cæterorum normam eſſe convenit. Neque magis nos ligatos credamus, quam Deus mandato ſuo voluit ligare Hebræos. Præcepit autem Deus per Moiſen primi Paſchæ celebritatem, exodi 12, his verbis. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni, &c. Et ſervabitis eum*, Agnum ſcilicet, *uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus*. Magnopere animadvertendum. 1. Præceptum hujus menſis atque diei incogitatum atque inſperatum fuiſſe, quocirca civilis Quartadecima Luna eo modo aſſumpta fuit, quo per cyclum tunc uſitatum inter Hebræos volvebatur annus Lunaris: valdeque probabile eſt, eorum cyclum non fuiſſe magis accuratum, atque Luminarium motibus veris mediiſve magis conſentaneum, quam nunc eſt. 2. Cum ab exordio Anni Lunaris non ſolum menſes pleni & vacui, verùmetiam Emboliſmæi dependeant; tunc Annus non incipiebat à menſe Paſchali, neque Emboliſmici menſes ante eum inſerebantur. 3. Poſt ejuſmodi præceptum, civilis anni vetus exordium abſolutè non mutaverunt Hebræi: Sed novum initium pro Solemnitate Paſchæ, Pentecoſtes, &c. Priſco civili Anno inſeruerunt. 4. Advertendum cum Clavio *c.* 4. *n.* 5. *pag.* 68. In eo præcepto ſemper inculcantur voces hæ *iſte*, *hujus*, quibus ſignificare videtur. Deum noluiſſe immutare conſuetam Anni ac menſium Hæbræorum formam & numerationem, ſed mutationem tantùm ſeptimi menſis in primum: ac ſi diceretur. Menſis iſte, qui hactenus in ægipto, ſecundum vulgarem Anni uſum, non autem ſecundum Aſtronomicum calculum, ſeptimus eſt habitus & nominatus, deinceps erit vobis primus totius anni, in eoque Paſcha celebrabitis.

Dicat Bettazzius ejuſque ſectatores. Quiſnam, tunc temporis, fuit civilis cyclus Lunaris Hebræorum à pluribus annis inceptus, eratne omnino

Digitized by Google

conformis Aſtronomicis mediis motibus? Eratne immunis ab omnibus peccatis trium Claſſium, quæ in Gregoriano cyclo intollerabilia cenſet? Habebantne eamdem ac nos dimenſionem, tam anni ſolaris quàm ſinodicæ Lunationis? Quartadecima Luna cyclaris ejuſdem primi menſis tam anno exitùs, quàm aliis Peregrinationis eorum in deſerto, & ingreſſùs in terram promiſſionis, ſemperne contingebat pridie Plenilunii medii, aut in Æquinoctio ſtricte ſumpto? Habebantne tunc temporis, quamvis, vigente divino præcepto, Teleſcopia, Horologia oſcillatoria, ad verum Æquinoctium obſervandum, è quo medium eſt deducendum? Agnoſcebantne Parallaxes, ac refractiones Luminarium? Nec-non Micrometra ad dimetiendas ſolis & Lunæ Diametros apparentes, eorumque diſtantias à Terra. *Neque dicatur*, pergit idem Clavius, *Moyſi inſtructo à Deo ignotam tunc non fuiſſe veram utriuſque anni tam ſolaris quàm Lunaris magnitudinem, quia hoc ridiculum eſſet, ſed dicendum potiùs, Moyſen loquutum eſſe ad ſenſum vulgi Aſtronomiæ ignari, quandoquidem ad univerſum cætum filiorum Iſraël verba faciebat, appellaſſeque primum menſem, more non Aſtronomico, quando videlicet ſol primum arietis punctum ingreditur, ſed ritu modoque admodum vulgari ac planè ruſtico.*

Si ergo Hebræis præceptum non fuerit, ut verum mediumve Æquinoctium in Paſchæ ſolemnitate obſervarent; ſed tantùm tempus, quo dies judicio ſenſuum noctibus æquales fiunt; quod triduum aut quatriduum ſine magna differentia complecti ſolet. Neque etiam eis præceptum fuit, ut Quartamdecimam Lunam numerarent eam diem civilem, quæ Plenilunium medium proximè præcedit; ſed tantùm tempus, quo Luna quaſi plena judicio ſenſuum perſpicitur, ſeu potiùs quæ per cyclum numerata deprehenditur. Dicendum-ne Chriſti Eccleſiam à lege veteri ſolutam, magna & intollerabilia peccata committere, quia admiſſo Epactarum cyclo facili ac populari, Quartadecima Lunâ Paſchalis indicatâ quandoque in Plenilunio, dieque Dominica contingente, ad ſubſequentem Dominicam ſolemnia Paſchalia transferuntur. Vel etiam, quia Plenilunio die 20 Martii contingenti, ſed cyclari Luna XIV die 21 Martii, in eodem menſe Paſcha celebrat.

Nonne lepida res videtur; Bettazzium, Præſentem Eccleſiam reprehendentem audire. Præſentem Eccleſiam, inquam, quæ exactiùs Paſcha celebrat quàm non fecerit præterita, ab Anno 325 C. Nicæni ad Annum Correctionis 1582: Nihilominus ei improperat, quod bina Paſchata in eodem anno celebrat, menſeſque Emboliſmicos non rectè diſtribuat: quod eſt falſum, ſi de cyclari anno Lunari à Januario exordienti agatur; in ſingulis quippe eorum unicum Paſcha, atque in eis Embolimici menſes cyclares rectè applicantur: ſed Bettazzius, ad motus medios Luminarium ſemper attendit, quaſi à Deo in lege veteri fuerint præcepti, aut ab Eccleſia pro norma Paſchali aſſumpti. Inſuper Eccleſiæ improperat, quòd Ogdoadem in Hendecadem & Hendecadem in Ogdoadem convertat? An ignorat, eas computationis ſpecies veteris ſtili per novum eſſe abrogatas, num earum uſum cum memoria jam extinctum, reviviſcere atque excitare vellet. Nonne eum dedecet de præſenti Eccleſia dicere, quæ aures fide-

lium offendunt : *In errorem ſæpe incidimus , ſcientes quidem & advertentes , ſed tamen inviti.*

Porro ſuppoſita ea Doctrinâ ; quam Emphaticè Catholicam appellat eruditus Bettazzius , videlicet , Quartamdecimam Lunam eſſe eam diem civilem , quæ pridie Plenilunii medii numeratur : diemque Plenilunii medii eſſe quintamdecimam Lunam. Dicat , quæſo , cur tam perſonam Doctrinam ſuo ſenſu demonſtratam , non inſequitur in facto maximi momenti , quale eſt Noviſſimum Chriſti Paſcha. *Libelli pag.* 2. 5. *Quanto poi.* Aſſerit Chriſtum mortuum fuiſſe anno vulgaris Epochæ 30 , die 7 Aprilis , feria 6. Inde liquidò colligitur juxta eum , diem 7. Aprilis fuiſſe Lunam xv , diemque præcedentem 6 Aprilis feriam 5 , fuiſſe Lunam xiv , in cujus veſperâ Paſcha egit Chriſtus cum Diſcipulis ſuis. Undenam habet Bettazzius , diem 6 Aprilis anni Chriſti 30 fuiſſe Lunam xiv ? Profectò eam non deprehendit ex numeris aureis in veteri Calendario præfixis , neque ex cyclo Dionisii & vedæ , iis namque , Luna xiv Paſchalis illius Anni indicatur 4 Aprilis feria 3. Proculdubio ex alio cyclo aut ex Tabulis Aſtronomicis eam autumavit. Bene quidem. Sed ex Caſſini Tabulis Aſtronomicis , eo anno Paſchale Plenilunium medium , Jeroſolimis contigit die 6 Aprilis horâ 11 40' 47". poſt mediam noctem. Inde ex ejus principiis ea dies 6 Aprilis fuit Luna xv & feria 5. Et dies 5 Aprilis feria 4 fuit Luna xiv. Quocirca unum de duobus concedat neceſſe eſt ; aut cyclum tunc temporis uſitatum , quo volvente Lunâ xiv , Chriſtus egit Paſcha , fuiſſe vitioſum , aut annum 30 non fuiſſe eum , quo Chriſtus mortuus eſt. Si primum , uti prævidetur , nonne , præſentem Eccleſiam de cycli vitio ineptè reprehendit ? Nonne ruit tota ejus Doctrina Chatolica de Quartadecima Luna Paſchali ? Exemplum Chriſti nonne fortius eſt opinione quorumque Computiſtarum : ſi ſecundum concedat , nonne ſibimet contradicit. De ea quæſtione fuſiùs infra.

Ex præmiſſis colligendum , currentes Epactas Quartaſdecimas Lunas cyclares rectè indicare ; quidquid ventilet Bettazzius. Sed dicet cum Clavio c. 10. n. 4. *Quamquam autem Eccleſia in Novilunio & Luna* xiv *ex eo inquirenda , neque veros motus conſideret neque medios , ſed eos ſecundùm cycli ordinem duntaxat metiatur : negandum tamen non eſt , medias oppoſitiones ex Tabulis Aſtronomicis inventas maximè eſſe utiles , ad perpendendum & dijudicandum , quiſnam cyclus è pluribus ſit eligendus , & in Calendario diſtribuendus ad Lunas* xiv *Paſchales perveſtigandas. Is enim ex omnibus aſſumendus eſt , cujus numeri , adhibita ſuis temporibus æquatione , Perpetuò in Calendario ita Neomenias ſive Novilunia , atque ex his Lunas* xiv *primi menſis. Ad Sacroſanctum Paſcha ritè celebrandum oſtendat , ut nulla unquam Luna* xiv *Paſchalis à Novilunio incluſivè numerata , duobus aut pluribus diebus oppoſitionem mediam præcurrat , ſed uno tantùm , vel certè in ipſum Plenilunium medium incidat , vel ſaltem non multo poſt conſequatur. Quamvis nec de hoc quidem magnopere laboret Eccleſia.* Quocirca plures cyclos offert Bettazzius , quos potiores currentibus exiſtimat. An hoc ita ſit perpendendum.

Digitized by Google

De novis cyclis Lunaribus à Bettazzio propoſitis.

PRoclamatis atque numeratis peccatis Gregorianæ Correctionis; Clariſſimus Bettazzius; labore indefeſſo, calculiſque immenſis, profunditatem ſcientiæ manifeſtantibus, complures cyclos Lunares commentus eſt. Tres tantùm Summo Pontifici proponit, quos, cyclo Gregoriano 2500 annorum Julianorum, demptis octo diebus, quoad indictionem Paſchæ perfectiores cenſet. Ait enim in Epitome operis Paſchalis *pag.* 119. *Gregoriana Epactarum æquatio, quam Clavius cap.* 11 *juxta Lilii ſententiam extendit, Paulatim à recto adeò declinat; ut tractu temporis, die Novilunii Paſchalis contingat Plenilunium medium & è contra: uti exempli gratiâ, contingeret anno Domini* 245300, *cui ipſa Gregoriana æquatio aſſignat litteram F majuſculam, quæ in Tabulâ Epactarum expanſâ, ſub aureo numero illius anni undecimo, exhibet Epactam XXIII diei* 8 *Martii affixam*, & Lunam XIV Martii 21, *contingente medio prædicti anni Plenilunio Martii die* 7, *& hora* 22, *min.* 19, *ſec.* 14 *poſt meridiem.* De tam prolixo futuro contingenti, videlicet 245300 annorum, certam ſcientiam dare audet, quis credet? Quaſnam Tabulas Aſtronomicas adhibet? ſunt ne certæ atque perpetuæ, quis affirmabit? Per tot annorum numerum fierent Lunationes 3033940. Quocirca uno minuto tertio addito vel detracto à dimenſione Lunationis ſinodicæ, una dies diſcrepantiæ versùs initium vel finem menſis fermè reperitur. Tabulis Caſſinianis quas perpetuas non exiſtimo; deprehendi, Plenilunium medium ejuſdem anni 245300 fore die Martii 25 hor. 5 0' 2" poſt mediam noctem, quatuor tantùm diebus remotum à Luna XIV Gregoriana. Novilunium verò die 10 Martii hora 11 38' 1", quem calculum tametſi accuratum pro tam prolixiſſimo temporis ſpatio, uti certum tradere non præſumo. Bettazzius autem ejuſdem anni Plenilunium diei 7 Martii aſſignat. Sed perpendamus ſingillatim Bettazzianos cyclos.

De primo cyclo Lunari Bettazziano.

PRimus Bettazzii cyclus 247600 annos Gregorianos, ab Epocha anni Chriſti 1700 numerandos complectitur. Proh deus! Quàm prolixus cyclus: ne quis tantam prolixitatem faſtidiat; Hunc cyclum partitur in ſex periodos, quas Maximam, Magnam, Minorem, Parvam, duaſque Minimas appellat. Maxima Periodus conſtat annis Gregorianis 81200, Magna annis item Gregorianis 20300, Minor annis 11600, Parva annis 4000, Minima conſtat tot centeſimis annis Gregorianis, quoti ſolidi dies conſtituunt integram Lunationem cavam, videlicet annis 2900. Minima altera conſtat annis 1700. Ab iſta minima periodo annorum 1700 incipit ſuum

cyclum, & ut fiat tranſitus ab una periodo ad aliam; uſque dum perveniatur ad finem cycli annorum 247600, plures varioſque Canones, modo intricatiſſimo conſtituit, quos videre licet in Epitome operis Paſchalis, *pag.* 122 *& ſeq.*

Duas tantùm minimas periodos annorum 1700 & 2900 expendam, ipſæ etenim ſunt radix & forma aliarum, & ex iis de aliis judicare licebit. In earum Laterculo, ſolummodo exhibet Bettazzius centeſimos annos eorumque Epactas, incipiendo ab Anno Domini 1700, nec ullum verbum dicit de reliquis eorum caracteribus. Ego verò, majoris Claritatis gratiâ, in Tertia Columna Numeros Aureos cujuſque centeſimi adjeci. In Quarta, litteras Epactarum ſeries indicantes & per totum ſubſequens ſæculum decurrentes appoſui: quæ, datis Aureo Numero & Epactâ, expeditè in Tabula expanſa deprehenduntur. In Quinta Columna æquationes Lunares centeſimis annis à Bettazzio adhibitas protuli: Quæque deprehenduntur eo modo, quo dixi ſupra cum de Liliana æquarione *pag.* 18. Apprimè notanda eſt, nova æquationis ſpecies computiſtis inaudita, quam adhibet Bettazzius; omnes Computiſtæ Lunare computum ſolari hucuſque coæquarunt, demendo diem ab anno Lunari, ipſe verò æquationem adhibet ei addendo diem. Eas æquationes Aſteriſco * notavi uti conſpicitur in Laterculo.

Itaque, ad eliciendas Epactas ad primam minimam periodum annorum 1700 ſpectantes, primum Canonem ſic ſtatuit Bettazzius. Ut ab Epacta anni centeſimi 1700, quæ ſignanda eſt X, deducantur Epactæ trium immediatè ſequentium centeſimorum, videlicet annorum 1800, 1900 & 2000: deprimendo ſemper Epactam immediatè præcedentis centeſimi quinque unitatibus, excepta Epactâ anni centeſimi 1800, quæ elicienda eſt ex Epacta ejuſdem anni 1700, depreſſione ſex unitatum: & quando ea depreſſio fieri nequit, viginti quinque unitates addendæ ſunt Epactæ centeſimi anni immediatè præcedentis, Epacta ſic conflata erit Epacta quæſita. V. G. Ab Epacta X anni 1700, detractis ſex unitatibus, reliquum IV erit Epacta anni 1800; cui additis viginti quinque, ſumma XXIX erit Epacta anni 1900: è qua, quinqne detractis, reſiduum XXIV erit Epacta anni 2000.

Deinde Epactæ cæterorum annorum centeſimorum, quouſque conficiatur Minima Periodus ad annum Domini 3300 incluſivè, eliciendæ ſemper ſunt ex Epactâ proximè præcedentis correſpectivi centeſimi, novem unitatibus elevandâ. Centeſimi correſpectivi dicuntur Biſſextiles, Biſſextilibus: primi poſt centeſimum Biſſextilem, primis poſt centeſimum Biſextilem, & ſic de reliquis. Quando autem Epacta proximè præcedentis correſpectivi centeſimi, ex prædicta elevatione fit major viginti novem unitatibus, detrahendæ ſunt 29 unitates, reliquum erit Epacta quæſita. V. G. Annus 2100 eſt proximè correſpectivus anno 1700 cujus Epacta eſt X, cui additis novem unitatibus, Epacta anni 2100 erit XIX. Annus 2500 eſt proximè correſpectivus anno 2100, cujus Epacta eſt novemdecim, cui additis novem unitatibus, Epacta anni 2500 erit XXVIII. Sic de reliquis.

Finitâ prima periodo 17 centenorum annorum, proſequitur Bettazzius

Digitized by Google

centeſimos annos uſque ad 29, numerum ſecundæ minimæ periodi, inito computo ab anno Epochæ ſui cycli, videlicet ab Anno Domini 1700: ideirco hæc ſecunda periodus abſolvetur anno 4500 incluſivè. Sed in ea proſecutione, ad habendas Epactas annis centeſimis congruas, eædem, inquit, ac ab initio cycli reaſſumendæ ſunt Epactæ, elevandæ duabus unitatibus: & quando hujuſmodi Epacta ita elevata fit major 29 unitatibus, iis detractis, reſiduum erit Epacta quæſita. V. G. Epacta anni 1700 eſt X, quibus additis duabus unitatibus; ſumma XII erit Epacta anni 3400. Sic de reliquis.

Cæteræ Epactæ Annorum centeſimorum, quibus conficitur Parva periodus 40 centenorum annorum, quæque abſolvitur anno 5600 incluſivè, eædem omnino in orbem reaſſumendæ ſunt Epactæ, ac ab initio cycli conſtitutæ ſunt. Ita Bettazzius, qui ſingulis periodis proprias obſervationes ſtatuit, quas videre licet *in ejus Epitome operis Paſchalis*, uſquedum perficiatur cyclus 247600 annorum. Quibus ſervatis Paſchalem cyclum perfectum commentum fuiſſe, contendit.

Animadverſiones in primum cyclum Bettazzii.

PRimus Lunaris cyclus Bettazzii conſtat 247600 annis Gregorianis; ab Anno Domini 1700 computandis: Quibus tranſactis eædem Epactæ redibunt. Primus quippe canon ejus Epitomes *pag.* 121 eſt. *Ut ſingulis abſolutis periodis Annorum Gregorianorum* 247600 *omnes Epactæ annorum centeſimorum in orbem eadem reponantur, ac ab initio cycli & deinceps conſtitutæ ſunt.* A Mundi exordio ad Epocham cycli Bettazziani ſeptem, ad minus, ſex mille anni emanarunt: Bettazzius autem iis annis, bis centum quadraginta ſeptem millia atque ſexcentos annos addit, antequam ejus Epactæ in orbem redeant. Per ſexaginta ad minus ſæcula mundi tranſacta, complures cycli Lunares, à nationibus, à judæis, à Chriſtianis commenti ſunt: qui omnes, decurſu temporis, quibuſdam vitiis affecti, reperti ſunt: cyclum autem Bettazzianum per 2476 centenos annos nullum vitium incurſurum eſſe præſumitur? Per ſegaxinta ſæcula Mundi, inſignes Aſtronomi floruere, qui motuum Luminarium accuratas Tabulas, eorum ævo magni habitas ediderunt, quæ tractu temporis mendoſæ depræhenſæ ſunt: Tabulæ autem quibus dirigitur Bettazzius, adeo ſunt exactæ, ſtabiles: Dicamus infallibiles, ut poſt tam enorme temporis ſpatium, nullam mendam ſint ſubituræ? De ea re Computiſtis atque Aſtronomis judicium defero.

Ego autem dico, enormem eum numerum annorum videlicet 247600, nullatenus eſſe cyclum Lunarem, ſed quamdam Aſtronomicam methodum, ad deprehendendas quaſdam Quartaſdecimas Lunas Paſchales, Paulò accuratiores cyclaribus Quartiſdecimis Gregorianis. Ejuſmodi aſſertio Bettazzium commovebit. Probationes expendendæ, & videbitur, anne ad demoſtrationem accedant.

De ratione cycli eſt, ut æqualibus incrementis aut decrementis proce-

LATERCULUS PRIMI CYCLI Lunaris Bettazzii.

Anni Domini.	Epactæ Novil.	N. Aur.	Series.	Æqu. Lun
1700	X	10	D	
1800	IV	15	C	
1900	XXIX	1	B	
2000. B.	XXIV	6	B	
2100	XIX	11	B	1
2200	XIII	16	A	
2300	IX	2	A	2
2400. B.	IV	7	A	
2500	XXVIII	12	u	
2600	XXII	17	t	
2700	XVIII	3	t	3
2800. B.	XIII	8	t	
2900	VIII	13	t	4
3000	II	18	ſ	
3100	XXVII	4	r	
3200. B.	XXII	9	r	
3300	XVII	14	r	5
3400	XII	19	r	6
3500	VI	5	p	*
3600. B.	II	10	q	7
3700	XXVI	15	p	
3800	XXI	1	n	
3900	XV	6	m	
4000. B.	XI	11	n	8
4100	VI	16	n	9
4200	I	2	m	
4300	XXIV	7	k	*
4400. B.	XX	12	l	10
4500	XV	17	l	11
4600	X	3	k	
4700	IV	8	i	
4800. B.	XXIX	13	i	
4900	XXIV	18	i	12

dat, uſque ad ejus terminum, à quo iterum incipit: Adeò ut, dato cycli numero cuidam Anno congruenti, cæteri numeri retrogradè ad annos præteritòs, æque ac directè ad futuros, facile extendi poſſint. Ut ea naturalis cycli ratio liquidò concipiatur, ad Litteratum Dominicalium cyclum octovicenarium attendat lector, ejus numeri atque Litteræ per Annos communes & Biſſextiles, eodem ſemper pede procedunt, uſque ad numerum 28 annorum: Et iterum in orbem redeunt pro futuris annis, aut deprehenduntur in orbem fuiſſe pro præteritis. Imo Dato unico Anno unà cum numero ejuſdem cycli atque Litterà ei annexa; tiro Computiſta totum cyclum perficiet, ejuſque numerum atque Litteram Dominicalem, quibuſlibet annis futuris Eccleſiæ atque præteritis Synagogæ, aſſignabit. Idem dicendum de Litterarum Dom. cyclo Gregoriano Quadringentorum annorum. Idem de cyclo decennovennali & de Epactis veteris ſtili iis annexis. Idem de Periodo Callipica, Dioniſiana, atque Juliana. Quia ii omnes ſunt veri cycli, veræque Periodi quorumdam annorum.

Idem dicendum de Lunari cyclo Gregoriano atque Liliano 25 centenorum annorum Julianorum, demptis octo diebus. Is quippe cyclus æqualiter ſemper procedit: eoque peracto in orbem redit. Imo dato centenò cycli numero, cuidam centeſimo Anno Domini congruenti, unà cum Litterà Epactarum ſeriem indicanti: peritus Computiſta, non ſolùm exordium & finem illius cycli deprehendet, uti diximus ſupra *pag.* 18. & in meo opere, *Diſſ. XIII. cap.* 3. & *Diſſ. XIV. cap.* 3. verùm etiam illius numeros, ad futuros centeſimos annos æquè ac ad præteritos extendet; ſinguliſque, Epactarum ſeries congruentes aſſignabit. Quia eſt verus cyclus.

Conferamus jam dictum Lunarem cyclum Bettazzianum, dictaſque ejus Periodos, cum iſtis veris cyclis, quid deprehendemus? Non utique rationem cycli, ſed quamdam temporariam Tabulam centenorum Annorum, quæ ad futura ſæcula æqualiter extendi nequit, & nullatenus ad præterita. Siquidem Dicta Periodus Minima 17 centenorum Annorum poteſtne Periodus appellari, quà ſemel poſita, cum multiplici obſervatione; ejus Epactæ, ſecunda vice, non eædem, ſed binis unitatibus auctæ reponuntur; neque integra reponitur, ſed tantùm uſque ad 29 numerum. Alia dicta Periodus minima poteſtne Periodus nuncupari? Quæ iterata, poſt undecim centenos annos, detruncatur; nec amplius eadem redit. Dicta Parva Periodus 40 centenorum Annorum poteſtne nominari Periodus, quæ tametſi quinquies & Paulò amplius in primo Laterculo iteretur, numquam eodem modo reponitur, ſed cum additamento & multiplici obſervatione. Dicta Periodus Magna 203 centenorum Annorum poteſtne dici Periodus, quæ quamvis quater reponatur, numquam eadem exhibetur, ſed cum multiplici obſervatione atque additamento. Si partes dictæ Maximæ Periodi Bettazzianæ, rationem cycli non habeant: Quomodo totus ejus dictus cyclus 2476 centenorum Annorum verus cyclus nuncupari poterit? dicat ipſemet hujus dicti cycli Auctor, ſi dato numero ejuſdem cycli unà cum Epacta & ſerie, congruentibus cuidam Anno Domini centeſimo, poterit aliquis principium & finem illius deprehendere, cum integrum exhibere,

Digitized by Google

bere; aut ad præteritos centeſimos annos recte extendere?

Præterea animadvertat peritus computiſta, irregularem diſtributionem æquationum Lunarium, quæ in 5 columna exhibentur. Lunaris cyclus Gregorianus itemque Lilianus, in 25 centeſimis annis octo tantùm æquationes admittit, quibus octo dies adduntur Epactis, & conſequenter detrahuntur ab anno Lunari: Eaſque perpetua lege ſic diſtribuit: Ut ſeptem poſt treecentenos annos, octava verò & ultima poſt quadringentos adhibeatur. Bettazzius autem per 29 centenos annos, tredecim æquationes adhibet: Videlicet undecim detrahendo diem ab Anno Lunari, eodem planè modo quo fit in cyclo Gregoriano: duas extraordinarias, addendo diem Anno Lunari, quod eſt inauditum apud computiſtas, ſed quia nimios dies ad libitum detraxerat ab anno Lunari, ei reſarciendos curavit.

Verùm, quo ordine æquationes adhibet Lunares? primam adhibet, poſt quadringentos annos, videlicet Anno Domini 2100. Secundam, poſt ducentos. Tertiam, poſt trecentos. Quartam, poſt ducentos. Quintam, poſt quadringentos. Sextam, poſt centum. Reliquas, diverſimodè, uti videtur in Laterculo. Inde irregularitas in Epactarum ſeriebus, ſeries quippe t & r per quatuor ſæcula inſervirent.

Extraordinarias æquationes notatas Aſteriſcis * in 5 columna, adhibet annis centeſimis communibus 3500 & 4300, quibus æquationibus binos dies detrahit ab Epactis, eoſque Anno Lunari addit. Contra omnium Aſtronomorum atque computiſtarum ſententiam. Anno quippe 3500 à præcedenti ſerie r ad ſeriem p minuſculam deſcendit, intermiſſa ſerie q: Anno etiam 4300, à præcedenti ſerie m minuſc. ad ſeriem k deſcendit, omiſſa ſerie l intermedia. Quid inde? Epactæ anni præcedentis, 9 dies tantùm adduntur ad efformandam Epactam anni centeſimi. Enuntiatio quoque Lunæ facienda 31 Decembris ejuſdem anni 99, retroceditur binis diebus prima die Januarii anni centeſimi. Exempli gratiâ: Anno 3499 erit numerus aureus 4 & Epacta XXVII, cui additis 11 diebus Epacta anni 3500 deberet eſſe VIII: Quia verò Annus centeſimus 3500 erit communis, decem tantùm dies addendi, & Epacta eſſet VII; placuit Bettazzio novem tantùm dies addere Epactæ anni 3499, ut efformaret Epactam VI anni 3500. Præterea Anno 3499 die 31 Decembris annuntiabitur in Martirologio & Breviario Luna Octava & Craſtina die 1 Januarii, proclamanda eſſet Luna Octava, ſed juxta Bettazzianiam Luna ſeptima enuntianda erit, vel triduo ſubſequenti Luna Octova enuntianda eſſet. Idem dicendum de Anno 4300, eo enim à præcedenti ſerie m minuſculâ fit deſcenſus ad ſeriem k, prætermiſſa ſerie l.

Ex his omnibus colligitur dictum cyclum Bettazzianum ad Paſchæ indictionem non eſſe admiſſibilem, quia eſt pſeudocyclus, ad ſummùm Methodus Aſtronomica, aut Tabula temporaria centeſimorum annorum.

Digitized by Google

De ſecundo Lunari cyclo Bettazzii.

QUamquam primum cyclum quantâ potuit perquiſitione & vigilantiâ, nulli parcens labori, excogitaverit Bettazzius: Ejus tamen imperfectionem agnoſcens; alium commentatus eſt. Vitium primi cycli quod allegat, non eſt illud quod ſupra animadverti: Sed aliud, quo non eſt omnino conformis ejus Tabulis Aſtronomicis, pluriesque peccat in indictione Paſchæ, quoad menſem. Proinde quidquid dicit de iſto ſecundo cyclo, confirmat quod dixi de primo, videlicet eum non eſſe verum cyclum, ſed Tabulam temporariam centenorum annorum, ad rectè deprehendendas Quartaſdecimas Lunas Paſchales Aſtronomicas.

Is ſecundus cyclus præcipuè differt à primo, in eo quod ſtatuit Bettazzius, numerorum aureorum filum eſſe intermittendum: ideoque Decennovennalem cyclum Metonicum, ab Ævo ab omnibus computiſtis adhibitum, & in Eccleſia à tredecim ſæculis uſitatum abolendum eſſe. Statuit etenim in ſua Epitome operis Paſchalis, *pag.* 136. ut quoties minimarum Periodorum Epactæ in orbem revertuntur, iidem Numeri Aurei, interrupto eorum filo, cum iiſdem Epactarum ſeriebus reponantur. V. G. Anno Domini 1700 adſcribitur in primo Laterculo Aureus Numerus 10, Epacta X, & ſeries D majuſcula: Anno 1800, Aureus Numerus 15, Epacta IV & ſeries C majuſc. ſicque cæteris ſubſequentibus centeſimis annis. Abſolutis Minimis Periodis; Anno videlicet 4600, eadem Epacta X reponitur, quæ congruit Anno 1700: Et Anno 4700, Epacta IV, quæ congruit Anno 1800: Sic de cæteris. Hoc non ſufficit Bettazzio, vult eumdem Numerum Aureum 10, eamdemque ſeriem D majuſc. adſcriptam Anno 1700, adſcribi etiam Anno 4600. Similiter Aureum Numerum 15, ſeriemque C majuſc. annexam anno 1800, annecti quoque Anno 4700. Ut ſaltus Lunæ (id eſt, 12 dies addendi Epactæ, ultimo anno cycli Decennovennalis,) iiſdem Annis ſæculi reperiatur, ſic de cæteris.

Sed dicet aliquis, Anno 4600 Aureus Numerus 3 ac ſeries k juxta naturalem ordinem congruet. Similiter Anno 4700 Numerus Aureus 8 atque ſeries i conveniet. Ea ordinatio diſplicet Bettazzio: intercidendus filus Numerorum Aureorum, & Anno 4600 adſcribatur Aureus Numerus 10, non curato ejus filo, & eadem ſeries D ac habuit Annus 1700. Similiter Anno 4700 præfigatur Aureus Numerus 15 atque ſeries C ac habuit Annus 1800. Sic de cæteris. Statuit etiam ut hujuſmodi interruptio fili Aureorum Numerorum iteretur, quoties Minimæ Periodi reponuntur in cyclo 247600 annorum.

Cenſet Bettazzius, interruptionem naturalis ordinationis cycli Decennovennalis, primum cyclum rectiorem efficere quoad indictionem Paſchæ: At non-ne dicent computiſtæ, majorem deformitatem ei conferre. Siquidem interrumpitur filus primi cycli Lunaris, qui ab Anno 439 ante Chriſtum à Metone commentus, ad præſens ſæculum decurrit: qui à SS Pa-

Digitized by Google

tribus Græcis atque Latinis fuit ſemper & ubique commendatus : à C. Nicæno ad Neomenias Quartaſdecimas que Lunas deprehendendas adhibitus, ab omnibus Compuriſtis uſitatus, atque annis præteritis & futuris applicatus. Interrumpitur filus cycli, cujus numeri per tredecim ſæcula in Calendario præfixi, terminos Paſchales deſignatunt. Hæ rationes minimi imo nullius momenti habentur à Bettazzio.

Mirabiles filiorum hominum ſtateræ in expendendis ac dijudicandis negotiis ! complures dicerent interruptionem fili Aureorum Numerorum ab Ævo in Eccleſia uſitatorum eſſe eversionem ordinis naturalis & compui Eccleſiaſtici : Bettazzius verò ait, *Epitomes pag.* 137. *Et quidem naturale eſt, ut quotieſcunque in orbem revolvendæ ſunt Epactæ juxta Periodorum exigentiam, Aurei Numeri, qui Epactas dirigunt, non proſequantur ſuum filum, ſed eo neglecto, iidem in orbem reſtituantur cum iiſdem Epactis & ſeriebus.* Alii dicerent ejuſmodi everſionem eſſe contra Bullam Gregorii XIII, quæ incipit *inter Graviſſimas.* Bettazzius contra ait, hanc Bullam ei favere. Denique, proſequitur idem auctor *ea fili interruptio nullam repugnantiam involvit* : Quaſi verò non eſſet magna omnium repugnantia, ipſa inverſio præcipui cycli Lunaris, cujus numeri propter maximam utilitatem computo Eccleſiaſtico collatam, *Aurei* Titulo Condecorati fuere : Quæ inverſio facienda eſſet, non ſemel pro ſemper, ſed pluries diverſis ſæculis. Ex his colligo idem, quod dixi de primo, ſecundum Bettazzii cyclum, nullomodo eſſe cyclum ſed Tabulam temporariam centenorum Annorum. Veniamus ad Tertium ejus cyclum.

De Tertio cyclo Lunari Bettazziano.

POſt duos præcedentes cyclos Paſchales, indefeſſa indagine, Tertium proponit Doctiſſimus Bettazzius. Is cyclus, quem veluti perfectiſſimum in recta indictione Paſchæ pro praxi, primo loco exhibet, non eſt centenorum annorum, ſed 38 annis Julianis perficitur, tametſi centeſimis annis cum utcunque annectat : cycluſque *Aurea columna* ab eo appellatur. Is cyclus convenit cum primo, in eo quod ſervatur filus Numerorum Aureorum ; ſed differt à primo & à ſecundo, in eo quod Saltus Lunæ, qui in cyclo Decennovennali Metonico fit additione duodecim unitatum ſub numero 19 & ultimo cycli, variandus ſit, atque adhibendus ſub numeris ſignatis in Tertia Columna.

Laterculus hic appoſitus tres Tabellas complectitur, prima dictum Tertium cyclum Bettazzii exhibet ; duæ Reliquæ, ad animadverſiones ſuper eodem cyclo ſtabiliendas & roborandas, à me additæ & commentatæ fuere. Prima Laterculi Columna, centeſimos Annos ab Anno Chriſti 1700 ad 4900 colligit. Secunda Epactas, centeſimis Annis ab eodem Bettazzio annexas complectitur : Quæ Epactæ, in decurſu ſingulorum ſæculorum, per additionem undecim unitatum progrediuntur, detractis triginta, quando occurrit : per additionem verò duodecim unitatum, quando fa-

ciendus eſt Saltus Lunæ. Geminæ hæ Columnæ tribus Tabellis ſunt communes. Tertia, Aureos Numeros cycli Decennovennalis colligit, poſt quos in decurſu ſingulorum ſæculorum facienda eſt diei ſubtractio ab Anno Lunari, appellata *Saltus-Lunæ*, id eſt, Progreſſio Epactarum per additionem duodecim Dierum. V. G. Anno 1700 congruit juxta Bettazzium, Epacta X, Aureus Numerus 10, atque ſeries D majuſc. ea Epacta X, ſingulis annis additione undecim dierum progreditur: ita ut Anno 1701, Epacta XXI: Et Anno 1702, Epacta III, rejectis triginta, convenit, &c. Uſque dum Anno 1709, habenti Numerum Aureum 19, atque Epactam XIX, illi additi fuere duodecim dies, è quorum Summâ 31, rejectis 30, Epacta I innotuit pro Anno 1710. Hic vetus & uniformis canon, ab ipſomet Metone ſtatutus, à Computiſtis hucuſque obſervatus, non artiſit Bettazzio; Epactæ XIX Anni 1709, tametſi ultimi cycli Decennovennalis, non duodecim ſed undecim dies addendos eſſe ſtatuit: quo facto Epacta Anni 1710 fuiſſet *, duodecim autem dies Epactæ Anni 1712 habenti Numerum Aureum 3 addendi fuiſſent. Quod faciendum præſcribit per totum currens ſæculum. Aliis vero ſæculis Saltus Lunæ erit faciendus, Annis habentibus Numeros Aureos, prout notantur in Tertia Columna Laterculi. Ejuſmodi eſt Tabella tertii cycli Bettazzii.

Ego autem ad Clariorem hujus Tabellæ diſcutionem, atque ad ejus deſformitatem Luci meridianæ exponendam, binas alias Tabellas in eodem Laterculo adjeci. Quarta Columna Laterculi, quæ eſt prima ſecundæ Tabellæ, complectitur Aureos Numeros centeſimis annis congruentes: Quibus cognitis unà cum Epactis, in Tabula expanſa deprehendo ſeries ſingulis ſæculis inſervientes, quarum litteras in Quinta Columna inſcripſi. Conferens eas litteras Epactarum ſeries indicantes, cum centeſimis Annis communibus & Biſſextilibus, deprehendo, quibuſnam Annis Æquationes Lunares fuere adhibitæ, quas in Sexta Columna repoſui: Æquationes per ſubtractionem diei ab anno Lunari factas, notavi Characteribus Arithmeticis: Quæ verò per additionem diei eidem Anno Lunari fiunt, Aſteriſcis *.

Ad intelligentiam Tertiæ Tabellæ, animadvertendum. In Tribus Bettazzii cyclis, eædem fermè Epactæ centeſimis Annis aſſignantur: Eorum differentia eſſentialis in eo conſiſtit, quòd in Primo cyclo, ſervatur filus Aureorum Numerorum, atque perantiqua ſedes *Saltûs Lunæ*, Anno 19 cycli Decennovennalis indicta. In ſecundo, ſervatur quidem ſedes *Saltûs Lunæ*, ſed perturbatur filus Aureorum Numerorum, qui in Eccleſia ſemper magni habiti fuere. In Tertio autem, ſervatur filus Aureorum Numerorum, ſed ſedes *Saltûs Lunæ*, ſingulis ſæculis effrenatè mutatur. Quocirca animadvertere licet, cyclum Decennovennalem Metonicum, æquè perturbari ſive interruptione fili Aureorum Numerorum, ſive immutatione ſedis *Saltûs Lunæ*, cum hæc duo invicem compenſari valeant. Siquidem defectus interruptionis fili Aureorum Numerorum emendari poteſt per mutationem ſedis *Saltûs Lunæ*, & vice verſâ, defectus mutationis *Saltûs Lunæ*, per interruptionem fili Aureorum Numerorum.

Digitized by Google

Hoc liquidò patet in Tertia Tabella. Etenim ſervatis iiſdem Epactis Annis Collectis & expanſis, in eo dicto cyclo, à Bettazzio præſcriptis; *Saltus Lunæ*, variis Aureis Numeris ab eo indictus, reſtituitur in priſtinam ſedem, videlicet in Numerum 19, per interruptionem fili eorumdem Numerorum Aureorum. Ii Numeri Aurei intercis i, juxta Bettazzium congruentes Annis centeſimis, inſcribuntur in Septima Columna Laterculi, quæ eſt prima Tertiæ Tabellæ. Eo Numero Aureo Tertiæ Tabellæ Collato cum Epacta Annis centeſimis annexâ in Secunda Columna, deprehendo, in Tabula expanſa Epactarum, ſeries congruentes Annis centeſimis & ſæculis poſt eos: quarum litteras in Octava Laterculi Columna inſcripſi.

Dixi, Saltum Lunæ diverſis Numeris Aureis à Bettazzio indictum, in priſtinam ſedem reſtitui per interruptionem fili Numerorum Aureorum. Siquidem conferendo Aureos Numeros juxta ordinem naturalem in Quarta Columna inſcriptos, cum aliis Tertiæ Columnæ, poſt quos *Saltus Lunæ* à Bettazzio præſcribitur: evidenter deprehenditur, quinam Aurei Numeri interciſo eorum filo, centeſimis Annis eſſent aſſignandi, ut *Saltus Lunæ* ad ſuam priſtinam ſedem reſtituatur. Hi Numeri Aurei interciſi reperiuntur, detrahendo numerum Saltûs Lunæ in Tertia Columna inſcriptum à numero naturali in Quarta Columna repoſito; reliquum, numerum quæſitum exhibebit. Si detractio fieri nequeat, addendi 19 numeris Quartæ Columnæ.

Exemplis illuſtrandus Laterculus. Anno Domini 1700 ex Bettazzio congruit Epacta X, Aureus Numerus 10 juxta filum proprii cycli: quibus cognitis; in Tabula expanſa deprehendo, ei Anno & ſæculo volventi competere Epactarum ſeriem indicatam per litteram D majuſc. quia nulla alia ſeries ſub Numero Aureo 10, habet Epactam X. In Tertia autem Columna indicitur volventi ſæculo, *Saltum Lunæ* faciendum poſt Numerum Aureum 3: Ut is Saltus in priſtina ſede, videlicet numero 19 retineatur, tres unitates detrahendæ à decem, & reſiduum 7 aſſignandum Anno 1700 in Septima Columna. Siquidem ſi Aureo Numero 10, naturali ordine, aſſignato Anno 1700, Annis volventis ſæculi, *Saltus Lunæ* numero 19 faciendus occurrit: eidem Anno 1700 aſſignato numero 7, Saltus Lunæ, tribus annis tardiùs, videlicet numero 3 naturali faciendus occurret: Sed numero 19 computato à numero 7. Verùm ſi Anno 1700 competeret Aureus numerus 7 & Epacta X, Profectò volventi ſæculo ſeries G inſerviret, quia nulla alia ſeries, ſub numero 7, habet Epactam X, idcirco eam inſcripſi in Octava Columna.

Similiter Anno 2600, ex Bettazzio conveniet Epacta XXIII, Saltúſque Lunæ faciendus erit, poſt Numerum Aureum 8. Eidem Anno centeſimo communi juxta filum proprii cycli competet Aureus Numerus 17, ſub quo, in Tabula expanſâ, Epacta XXIII deprehenditur in ſerie u; quam in Quinta Columna repoſui: Sed eadem ſeries u præcedenti centeſimo communi etiam convenit, ex eo colligitur, Æquationem Lunæ fuiſſe adhibitam Anno centeſimo communi 2600, quam in Sexta Columna deſigno caractere 3. Præterea Aureo Numero 8 Tertiæ Columnæ, in quo faciendus eſt Saltus Lunæ, detracto à Numero Aureo 17, reſiduum 9 eidem An-

no adſcribendum in Septima Columna, ut *Saltus Lunæ*, in ſuamſedem reſtituatur: Porrò ſi Anno 2600 conveniat Numerus Aureus 9 & Epacta XXIII: eidem Anno & ſæculo poſt eum, ſeriem ſ inſervire neceſſe eſt. Sic de Reliquis. Series autem in Octava Columna appoſitæ concordant cum Epactis exhibitis ab ipſomet Bertazzio, in Tabula Annorum expanſorum *Epitomes pag.* 158. quod comprobatione compertum habebitur.

His ita diſpoſitis, perpendat peritus computiſta Tabellas ſic inſtructas in eo Laterculo; eaſdem deformitates in Tertio Bertazzii cyclo, quas in præcedenti primo, & plures alias animadvertet. Epactæ centeſimis Annis annexæ; ferè eædem ſunt ac in primo cyclo, Septem tantùm diverſæ ſunt: ex quibus, ſex unitate auctæ, unica autem unitate eſt diminuta. In Tertia Columna, Aurei Numeri, poſt quos Saltus Lunæ eſt adhibendus, abſque ullo ordine, regularitate, neque ratione allegata inſcribuntur. Quod notatu dignum, eâdem Epactarum ſerie per duo, tria, quatuorve Sæcula decurrente, in ſingulis, immutatur Aureus Numerus, poſt quem *Saltus Lunæ* præſcribitur. Eam Columnam, à Bettazzio *Aureo* Titulo decoratam, complures *confuſionis columnam* appellabunt.

In Quinta Columna, perpendat Epactarum ſeries centeſimis Annis annexas. Series r, n, l, quater iteratas, ſeu quatuor ſæculis inſervientes advertet. A ſerie r Anno Chriſti 3400 annexa, fit deceſus ad ſeriem p minuſculam, omiſsâ ſerie q intermedia: Qua omiſſione, biduum additur anno Lunari; atque Epactæ Anni 3499, quæ erit XXVII, additis tantùm novem diebus proveniet Epacta VI Anni ſequentis 3500: Inde aliud incommodum in lectione Martirologii eadem Luna, triduo ſubſequenter annuntianda erit, videlicet diebus 31 Decembris, 1 & 2 Januarii. Quæ omnia ſunt contra Canones omnium computiſtarum. Ut jam dixi ſupra *p.* 37, idem defectus occurret anno 4100, quando à ſerie n fiet deſcenſus ad ſeriem l, omiſsâ ſerie m inter media. Idem Anno 4600, quando à ſerie l, fiet deſcenſus ad ſeriem i, omiſſa ſerie k intermedia.

In Sexta Columna, animadvertet etiam peritus Computiſta Æquationum Lunarium irregularem applicationem, dum poſt quatuor, tria, duo, aut unum ſæculum; abſque ullo ordine, neque explicatione, æquationes eſſe adhibitas obſervabit. Imo inter duas æquationes, quibus dies ab Anno Lunari detrahitur, aliam adhibet Bertazzius ſignatam Aſteriſco *, quâ dies Anno Lunari adjicit. In manu Bettazzii eſt, ab Anno Lunari diem adimere, vel ei ad libitum addere. Dicat velim, quodnam Syſtema in eo & præcedentibus cyclis ſecutus eſt? Alphonſinum aut Tychonicum.

In Octava Columna, perpendat Epactarum ſeries, provenientes equidem ex interruptione fili Aureorum Numerorum, quâ *Saltus Lunæ* reſtituitur in naturalem ſedem cycli Decemnovennalis nempe ultimo numero. Anno 1700 convenit Epacta X, Aur. Numerus 10 & volventi ſæculo Epactarum ſeries D majuſc. Porrò ſi volventi ſæculo *Saltus Lunæ* debeat fieri poſt Numerum Aureum 3: is Numerus 3 aſſumendus pro Numero Aureo 19; Tuncque Anno 1700 Epactam X habenti congruet Num. Aur. 7 & volventi

LATERCULUS COMPLECTENS TRES TABELLAS ; prima, tertii cycli Bettazzii, cum aureis numeris in tertia Columna, poſt quos faciendus eſt Saltus Lunæ. *Secunda continet aureos numeros reſpondentes Annis Centes , Series reſpondentes Epactis , & æquationes Lunæ. Tertia Colligit Aureos Numeros interrupto eorum filo , & Series Sæculis congruentes.*

1			2			3	
Anni Domini.	Epactæ.	Salt. Lunæ.	N. Aur.	Series.	Æ. Lu.	N. Aur.	Series.
1700	X	3	10	D		7	G
1800	IV	19	15	C		15	C
1900	XXIX	14	1	B		6	G
2000. B.	XXIV	6	6	B		19	M
2100	XIX	19	11	B	1	11	B
2200	XIII	17	16	A		18	M
2300	IX	6	2	u		15	G
2400. B.	IV	3	7	A	2	4	D
2500	XXVIII	17	12	u		14	H
2600	XXIII	8	17	u	3	9	ſ
2700	XVIII	18	3	t		4	g
2800. B.	XIII	14	8	t		13	D
2900	VIII	9	13	t	4	4	H
3000	II	19	18	ſ		18	ſ
3100	XXVII	14	4	r		9	B
3200. B.	XXII	11	9	r		17	t
3300	XVII	2	14	r	5	12	h
3400	XII	17	19	r	6	2	D
3500	VI	12	5	p	*	12	H
3600. B.	II	3	10	q	7	7	t
3700	XXVI	17	15	p		17	C
3800	XXI	14	1	n		6	t
3900	XVI	4	6	n	8	2	H
4000. B.	XI	1	11	n		10	E
4100	VI	15	16	n	9	1	M
4200	*	6	2	l	*	15	t
4300	XXV	17	7	l	10	9	u
4400. B.	XX	17	12	l		14	u
4500	XV	4	17	l	11	13	F
4600	IX	4	3	i	*	18	E
4700	IV	18	8	i	12	9	M
4800. B.	*	9	13	k	13	4	u
4900	XXIV	18	18	i		19	M

ſæculo Epactarum ſeries G. inſerviet. Perpendat, inquam, ſeries G, C, G, M, B, &c. Quæ ſeries ſunt omnino conformes Epactis Annorum expanſorum traditis à Bettazzio, *Epitomes pag.* 158. Sed quàm perturbato ordine adſcribuntur. Quid ad hæc? Bettazzianus cyclus, eſt-ne verus cyclus? Eſt-ne popularis? Non-ne verè dixi, ejus Columnam Auream eſſe *Columnam Summæ confuſionis*, ejuſque cyclos, eſſe *Pſeudocyclos*.

Hunc Tertium cyclum 38 Annorum, Aureæ columnæ appellat Bettazzius. Qua ratione? Siquidem poſt novemdecim Annos cujuſque ſæculi in orbem redeunt Epactæ, ut liquidò patet in ejus Tabula Annorum expanſorum. *Epitomes pag.* 158. Quocirca Novendecim Annorum cyclus potiùs eſſet appellandus. Auream Columnam appellat eam, quæ *Saltus Lunæ* variis Aureis Numeris faciendos, ad ejus placitum deſignat; quæ nunquam characteribus aureis in valuis Apoſtolorum neque in campo floræ affigetur. Hunc cyclum veluti perfectiſſimum in indictione Paſchæ, propraxi primo loco proponit: Alii, perturbatiſſimum cyclum dicent, commentatum præter mandatum divinum *Exod.* 12. Quod Nicæni patres obſervandum commendant: ubi, cyclarem Lunam, non autem Aſtronomicam mediam obſervandam, præcipitur.

Alium cyclum proponit noſter Bettazzius, complectentem geminam reformationem Gregoriani Anni ſolaris atque Lunaris. *Epitom. pag.* 188. Pro ſolari quidem, Æquationem Gregorianam, quà ex quatuor centeſimis Annis tres communes agantur & alius Biſſextilis; obſervandam cenſet: Sed Epocham hujus cycli à Correctoribus Anno 1600 conſtitutam, Anno 1700 annectendam eſſe poſtulat. Adeo ut Biſſextilis non fiat Annus 2000, ſed intercalatio transferatur ad Annum 2100 ac propterea Biſſextiles in futurum ſint, illi duntaxat centeſſimi, qui immediatè ſuccedunt illis, quos numerus quaternarius numerat. Exempli Gratiâ, Biſſextiles ſint Anni 2100, 2500, 2900, 3300, &c. factis communibus aliis centeſimis intermediis.

Sicut Gregorianæ Æquationi ſolari, tres præcedentes cyclos accommodavit: ita novæ ejuſmodi Epochæ ſolari eoſdem cyclos adaptat, deprimendo tantùm unitate Epactas centeſimis Annis priùs Biſſextilibus aſſignatas; ceteris omnibus permanentibus, uti jacent in Tabulis jam exhibitis. V. G. Epacta Anni 2000 Biſſextilis erat XXIV: eodem Anno 2000 ex Hypotheſi facto communi, ejus Epacta erit XXIII. Sic de cæteris. Quia ea nova Hypotheſis cyclos præcedentes tantiſper tantùm immutant, nihil dicendum occurrit, quod non jam dictum fuerit; ideo de ea fuſiùs diſſerere ſuperſedeo.

Nil intentatum reliquit laudatus Bettazzius, quo, labore improbo, ſummaque indagine, centeſimorum Annorum cyclos, Aſtronomicis apicibus conſentaneos, omniſque erroris immunes in indictione Paſchæ exhiberet: quod nequaquam potuit. Omnem movit lapidem, quo eos ſolidaret: imminentia objecta prævidens tres tractatus inſtituiſſe ait, *Epitom. pag.* 149. In quorum primo probare conatur, quòd Epactæ centeſimorum Annorum irregulariter æquandæ ſint. In ſecundo, quòd Æquationes Lunares intra aliquam Annorum periodum concludi nequeant. In tertio, quòd variari poſſe

poſſit ſedes Saltûs Lunæ. Quæ omnia ultrò ei conceduntur, atque etiam quòd filus Aureorum Numerorum interrumpi poſſit. Imo *quòd ad indagandam Paſchalem Lunam, Tabulis duntaxat Aſtronomicis uti poſſimus; in quibus, ad mille annos computetur & deſcribatur Luna Paſchalis, & in principio Calendarii ponatur.* Ut ipſemet ait ſcripſiſſe Leonem X Lovanienſi Academiæ, *in Præmio Epitomes.* Quis unquam de poſſibilitate eorum diſputavit? ſed ejuſmodi irregularis Æquationum Saltuumque Lunæ ordinatio, quamvis valde commendabilis ſit, erit-ne verus cyclus Paſchalis ad captum vulgi accommodatus? Erit-ne juxta divinum mandatum? Erit-ne conformis Praxi Eccleſiæ, atque Niceno Decreto? Peritorum judicio dimitto. Dicam tamen Bettazzianos pſeudo-cyclos comparatos cyclis Correctorum, Gregorianam correctionem valdè commendare. Siquidem Bettazziani cycli irregulares ac intricatiſſimi traduntur: Correctorum verò ſimplices, populares ac regulares.

Dixi, nihil intentatum reliquiſſe Bettazzium, quo centeſimorum annorum ab eo dictos cyclos, omnis erroris immunes in indictione Paſchæ exhiberet. Optaſſem Profectò ejuſmodi ideale Calendarium opere compleſſet: Adeo ut ſub Meridiano Romano, dieque ab occaſu ſolis incepta, omnes Quartædecimæ Lunæ Paſchales, Pridie oppoſitionis mediæ, abſque ullo errore nec quoad Menſem nec quoad Hebdomadam, deprehenderentur: Eſſet-ne rectum hujuſmodi Calendarium? Nullomodo. Eſſet quidem Calendarium Romanum, ſed non Eccleſiæ Catholicæ. Ratio eſt, quia propter Meridianorum Differentiam, non ſolum Plenilunium verum ſed etiam medium, à quo pendet quartadecima Paſchalis, in variis Regionibus, diverſis horis, diverſiſque diebus contingit.

Ea Meridianorum differentia valde intricatum reddit Bettazzium. Ad cyclum Paſchalem condendum, atque ad dijudicandum de ejus rectitudine aut deformitate, principia Aſtronomica ad unum Meridianum adeò aſtricta ſtabilivit; eaque auctoritatibus antiquorum Patrum ita communivit. Ut binarum aut trium horarum differentia, Quartamdecimam Lunam Paſchalem legitimam vel illegitimam efficiat, atque tam menſem quàm Hebdomadam quandoque immutet. Porro differentia Meridianorum, quæ in Eccleſia Chriſti per totum orbem diffuſa reperitur, ſi ejus principia non invertat, plurimùm labefactat: Ideo in ea re non ſibi conſentit Bettazzius. Juxta ejus principia, Plenilunium medium, quod quintadecimâ Lunâ ſemper contingit, adveniens ſub Meridiano Romano die 20 Martii, Horâ 6 vel 7 poſt meridiem; eum menſem efficit primum Anni & Paſchalem: Quia die Lunari incipiente ab occaſu ſolis, illa Hora ſeptima pomeridiana pertinet ad 21 Martii, & eſt Hora prima ejuſdem diei. Adveniens autem eadem die 20 Martii, Horâ 1 vel 2 poſt meridiem, eum menſem efficit ultimum Anni minimè Paſchalem: aut intolerabilis committetur error, geminum Paſcha in eodem Anno celebrando. Juxta ejuſdem principia, Plenilunium medium, ſub eodem Meridiano Romano contingens die Dominicâ, Horâ 6 vel 7 poſt meridiem; ad ſubſequentem Dominicam Paſcha differendum: Aut grande peccatum fiet, celebrando Paſcha Quartadecima Lunâ cùm judæis. Eodem Plenilunio contingenti eâdem

E

Digitized by Google

Dominica, Hora I vel 2 poſt meridiem; eâ Dominicâ Paſcha peragendum; quia ea dies eſt Quintadecima Luna. Si ſecùs fiat immane flagitium committetur, celebrando Paſcha, quarta Hebdomadâ & ultra ſanctificatas Ferias à Luna XIV ad XXI: contra Doctrinam Catholicam, Conciliorum Canones, & SS Patrum Latinorum atque Græcorum ſententias.

Attamen conſtat experientiâ, omnium Aſtronomorum obſervationibus & calculis comprobatâ, non ſolùm idem Plenilunium verum, quod eodem momento, & ut ita dicam eodem ictu oculi, fit in cœlo: Sed etiam idem Plenilunium medium; quod pro uno Meridiano neceſſariò computatur: in una regione contingere die 20 Martii, Horâ prima vel ſecunda poſt meridiem, & in alia regione eadem die 20 Martii, Horâ ſexta vel ſeptima poſt meridiem: Quocirca eadem Lunatio, idemque menſis in una regione erit primus Anni Lunaris & Paſchalis: in alia autem erit ultimus Anni qui tunc Emboliſmæus fiet, quod pluribus exemplis comprobari poſſet. Similiter idem Plenilunium Medium, in una regione contingere poteſt die Dominica, Horâ ſecunda vel tertia; & in aliâ, eâdem Dominicâ, Horâ ſexta vel ſeptimâ poſt meridiem, idcirco in una regione erit Paſchalis, in alia verò non erit Paſchalis.

Quid ad hæc Bettazzius noſter? valde intricatum ſe exhibet. Ad vitandum illud incommodum, *in Epitomes pag.* 170. Sapientiſſimo Conſilio, inquit, factum eſt, ut medii Lunæ motus in ipſa actuali Paſchæ indictione, id eſt, in indictione annorum expanſorum, non adhibeantur: Quia præter alias rationes, ſolæ Meridianorum differentiæ efficerent, ut, diverſis locis, diverſi dies civiles non includerent idem medium Novilunium, & reſpectivè Plenilunium. Quomodo ergo diverſis locis Luna XIV Paſchalis, ſive dies ante medium Plenilunium occurreret, in eadem civili die menſis Solaris? Et ſi non occurreret in eadem civili die, quomodo Fideles per univerſum Orbem, in eodem die Dominico celebrarent Paſcha? Conſultò igitur Eccleſia medios Lunæ motus non adhibet pro actuali indictione Paſchæ: Imo ipſi medii motus à Sacris Canonibus rejecti pro hujuſmodi indictione cenſendi ſunt; ut pote qui ultra præmemoratum periculum, diverſis locis, diverſum Paſchæ diem deſignarent. Contra claram eorumdem Sacrorum Canonum diſpoſitionem, de celebrando Paſcha per unverſum Orbem, *uno eodemque die*.

Sed ſi ſapientiſſimo Conſilio actum ſit, ut medii Lunæ motus ab ipſa actuali indictione Paſchæ removeantur, ad controverſias vitandas: Quæ apud varias nationes orirentur, tum propter prælectionem Tabularum Aſtronomicarum, tum propter Meridianorum differentias. Nonne etiam ſapientiſſimum eſſet Conſilium, propter eaſdem rationes in electione cyclorum Paſchalium & in dijudicanda de eorum rectitudine, medios Lunæ motus non ita ſtrictè adhibere, ut unicum Meridianum pro norma omnium aſſumatur; atque dicatur peccatum in ratione Paſchatis, quidquid ei cyclo particulari Concors non eſt. Quamvis, ſalvo meliori judicio, nullum peccatum in indictione Paſchæ tum pro Menſe tum pro Heb-

domada, dicendum videtur, quando in aliqua Orbis terrarum Parte, per Meridianorum differentiam Correctum deprehenditur. Quia cyclus Eccleſiæ Catholicæ debet eſſe Catholicus, id eſt, univerſalis pro toto mundo. V. G. in Laterculo relato à Bettazzio. *Epitom. pag.* 101. Anno 1723, Epacta XXIII Quartamdecimam Lunam indicavit, Die 21 Martii: tametſi Plenilunium contigit Romæ Die 21 Martii hor. 3 min. 41 poſt meridiem. Poteſt-ne dici, Gregorianam Correctionem eo anno Peccaſſe, indicendo Paſcha ultimo menſe Anni Lunaris: Cum habita ratione Meridianorum, idem Plenilunium contigit in inſula Braſilia, eadem die 21 Martii hora 6 poſt meridiem; in Martinica hora 8, Limæ & Havanæ hora 9, Mexici hora 11 poſt meridiem. In illis regionibus Epacta XXIII rectè indicavit Paſcha, Romæ minus rectè, ideo peccatum in cyclo erit? Idem dicendum de compluribus aliis Annis, quos tamen notat Bettazzius.

De eadem Meridianorum differentia, ſic differit idem Bettazzius; *in Libello pag.* 45. *Queſta*: ea, inquit, Meridianorum differentia valet, *ad concludendum Sapientiſſimum eſſe uſum cycli, ut Paſcha per totum Orbem unà eademque die celebretur.* Bene quidem, ſed ſi cyclus electus per æquationes irregulares vel per interruptionem fili Aureorum Numerorum, vel per immutationem ſedis Saltûs Lunæ, ad unum Meridianum ita Aſtringatur: Ut nullum committatur peccatum in indictione Paſchæ, peccatum inquam à Bettazzio ita nuncupatum. Recte-ne per totum orbem unà eademque Die celebrabitur Paſcha? Minime. Valet etiam, addit. *Ad demonſtrandam Sanctæ ſedis ſapientiam atque rectitudinem, admittendo uti legitimam omnem Quintamdecimam Lunam, quæ in quacumque hora diei*, ſub Meridiano Romano & ab occaſu ſolis ineuntis, *includit Luminarium oppoſitionem: Quo exhibet toti mundo, quòd nunc Romanis, nunc eorum Antipodibus, nunc populis eis Orientalibus, nunc eis Occidentalibus, ſole Occidente, Luna ſuper Horiſontem exurgat, ſoleque Oriente Luna occidat: Adeò ut tota dies Quintadecima Lunæ ſit luminoſa, reciproca ſucceſſione ſolis & Lunæ, Terram illuminantium. Quod eſt ſignum omnibus viſibile Quintædecimæ diei Lunæ, quod deus nos docuit, & unanimi conſenſu ab antiquis Hebræis, atque à SS. Patribus Græcis & Latinis admiſſum.*

Præclàra verba: ſed in ore Bettazzii ampliori explicatione indigerent. Primùm quidem ſapientiam ſanctæ ſedis perperàm exponit; ſcit enim ſancta ſedes, quòd ſi in actuali vel cyclari indictione Paſchæ, Meridianum aliquod eſſet eligendum; foret utique Jeroſolimitanum, ſub quo, Chriſtus Legale Paſcha manducavit & miſticum inſtituit. Romana ſedes, cum ab Antiſtibus Alexandrinis, indictionem Paſchæ cycloſque Paſchales recipiebat, proprium Meridianum aliis præferri nunquam prætendit: Imò ut dixi, *in meo opere diſſ. XI. c. VIII. pag.* 188. Romana Eccleſia juri ſuo cedere maluit, ſeque in leviori Diſciplina allucinationi committere, quàm cæteras Eccleſias compellere ſecùm cum gravi errore convenire.

Secundò. Verba dicta à Bettazzio, diem Quintædecimæ Lunæ, totam Luminoſam eſſe, reciproca ſucceſſione ſolis occidentis & Lunæ Orientis, ſecundùm Aſtronomiæ obſervationem vera eſſe nequeunt; niſi Plenilunio vero concurrente cum occaſu ſolis ſub aliquo Meridiano; cum

F ij

autem ad cyclos conſtruendos & eligendos Plenilunium medium adhibeatur, quod circiter octodecim horis ante vel poſt, à vero differri poteſt, jam non poteſt dici, eâ Quintadecima die, ſole Occidente, Lunam *ſtatim* oriri.

Tertio. Concurrentibus vero Plenilunio & occaſu ſolis ſub Meridiano Romano, verum erit dicere, Occidente ſole aſſurgere Lunam Romanis; totamque eam diem eſſe eis Luminoſam, per reciprocum ſolis & Lunæ conſpectum, idem terræ hemiſphærium illuminantium; ſed ea dies veri Plenilunii non Quintadecima Lunæ dies dicenda eſt, cum plerunque verum Plenilunium contingat in ipſa Quartadecima die. Uti comprobavi in meo opere. *Diſſ. XI cap. IX pag.* 191. Præterea falſum eſt, eumdem ſimultaneum ortum Lunæ & occaſum ſolis contingere ſucceſſivè Romanis, eorumque Antipodibus, Occidentalibus & Orientalibus populis, quin per aliquas horas defectus lucis intercedat.

Scio equidem, quæ ſcribo, tricas eſſe judaïcas; ſed quia zelozus Bettazzius, in electione cyclorum, atque in eorum rectitudine dijudicanda, ad eas tricas attendit, iiſdem tricis eſt involvendus.

Si verò prædicta verba, modo vulgari atque populari aſſumantur, vera utique ſunt: Sed tunc Plenilunio vero mediove contingenti ipſo meridie, aut quibuſdam horis ante vel poſt, oculis diſtingui nequit, an præcedens vel ſubſequens nox ſit Quintadecima Luna, cum æquè ſint Luminoſæ. Quocirca non ita ſtrictè ſtandum Tabulis & calculis mediorum motuum, uti agit Bettazzius: Sed cyclus popularis eſt uſurpandus. Hoc eſt, quod Deus nos docuit. Hoc eſt, quod antiqui Hebræi, atque SS Patres Græci & Latini nobis tradiderunt.

Hoc eſt, quod fecit Gregorius XIII cum ſuis Mathematicis, Poſtpoſitis pſeudo-cyclis undique eis oblatis, Lilianum ſyſtema elegerunt, quo cycli populares & faciles proponuntur, & ita faciles ut indigitatione poſſint adipiſci. Iis cyclis, videlicet ſolari 400 Annorum & Lunari 2500, tribus quatuorve canonibus poſitis, Æquationes ſolares atque Lunares annis centeſimis, ita regulariter accommodantur; ut præteritis Synagogæ ſæculis æquè facile aptentur, ac futuris Eccleſiæ: Quibus, unicuique centeſimo Anno, Epactarum ſeries juxta Aureorum Numerorum normam annectitur; quæ per totam centuriam, primas atque quartaſdecimas Lunas nedum Paſchales, ſed etiam totius anni, cyclica methodo rectè deſignant. Propter elegantiam cycli ſolaris, ejus Epocham Anno centeſimo 1600 annexerunt Correctores, ut eſſet eadem ratio inter Annos centeſimos Biſſextiles, ac eſt inter annos expanſos. Ne unquam nec uſquam Paſcha indiceretur ante Plenilunium, quod SS Patres Græci atque Latini ſummopere vitandum duxerunt, cycli Lunaris Epocham Anno Chriſti 550 præfixerunt. Quâ Epocha evenit, Quartamdecimam Lunam cyclarem, nonnunquam in ipſa die Plenilunii medii deprehendi, quandoque etiam poſtridie Plenilunii medii: Quod inevitabili cycli vitio, non Correctorum imperitiæ tribuendum; ſed ea cycli vitia ſenſuum judicio adverti nequeunt, & ſæpe ſæpius per Meridianorum differentiam corriguntur.

Hoc eſt, quod non fecit Bettazzius, ipſe enim, ſuppoſita quadam Anni

ſolaris atque Lunaris magnitudine, conſtructis Tabulis mediorum motuum ad plura futura millia annorum expanſorum; ad tollendos minuendoſve errores indictionis Paſchæ, in ſingulis centuriis ex Tabulis deprehenſos, Æquationes Lunares Annis centeſimis annectit; nullo conſtanti cyclo, ſed valde irregulari methodo, modò ab Anno Lunari detrahit diem, modò ad libitum ei addit. Errores, quos irregularibus Epactis, Annis centeſimis annexis, tollere nequit, per interruptionem fili Aureorum Numerorum, vel per immutationem ſedis Saltûs Lunæ, intra annos expanſos faciendam, eliminare inquirit. Ejus cyclos, ad præterita Eccleſiæ aut Synagogæ ſæcula retrahere, quis poterit? Cum ipſemet ab Anno Correctionis 1582, vel à ſæculo præterito 1600, eos incipere minimè eſt auſus. Errores omnes indictitionis Paſchæ à Romano Meridiano dinumerans, alias nationes Romæ Occidentales aut Orientales, plerunque in celebratione Paſchæ errare cogeret. Ne autem aliquis conqueratur de ea inordinatione: *Repugnat*, inquit, libel. pag. 4. 5. ma l'indure. *Doctrina Catholica Meridianorum differentiam afferre, ad Epactas accuſandas Errore, aut deffendendas ab errore.* Doctrinæ particulari, Catholicæ nomen adſcribit. Num Meridianorum differentia non eſt veritas Aſtronomica, eamque ad defendendas Epactas proferre, erit ſcelus. Porro ſat & nimis ad Correctionem Gregorianam propugnandam contra Bettazzium, deveniamus ad mei operis defendendas elucubrationes.

SECUNDA PARS APOLOGIÆ.

Ubi reſpondetur animadverſionibus Bettazzii in elucubrationes Patris Melitonis Capucini.

Occaſione mei operis arreptâ, complura ſcripſit eruditus Bettazzius, ad impugnandam Gregorianam Correctionem, quibus ſat ſuperque reſpondiſſe arbitror. Plures alias animadverſiones, meas elucubrationes impugnantes protulit, quibus brevi reſpondendum cenſeo.

Alius Conquereretur, opus Patris Melitonis non æqua Bilanci appenſum fuiſſe. Plura nova commenta computo Eccleſiaſtico utillima, à peritis Aſtronomis magni habita complectitur, nullum extollit, nullum approbat Bettazzius: Sed quaſi Ariſtarcus, cuncta minutiùs ac ſcrupuloſiùs ſcrutans libellum reprehenſionibus replet, nec ullum verbum in favorem ſcripſit. Clavius expendens Franciſci Vietæ Calendarium, ſolidè illud refellit: Attamen *cap.* 25 ait, *Vieta in libro ſui Calendarii multa præclarè ſubtiliterque ſcripſit: Inter quæ rationem elegantem ſuppntandi medias Luminarium conjunctiones, oppoſitioneſque Paſchales poſt Correctionem excogitavit: Quam hic appendicis loco exponere decrevi; quia in ea opus non eſt, ut dies exempti adjiciantur; quod quidem moleſtum eſt, quando illi dies in majorem ſummam excreverint . . . . ut vel hinc Vieta quoque intelligat, me*

de ejus famâ, hoc loco nihil detrahere voluiſſe. Quænam illa fuit tam elegans ratio ſupputandi media Novilunia, Pleniluniaque Paſchalia poſt Correctionem? Propoſuerat Vieta, quatuor Epochas ſive Radices Epactarum annis centeſimis 1600, 1700, 1800, 1900, juxta novum ſtilum congruentes: deinde Tabulam conſtruxerat Annorum Collectorum, in qua, à 400 per 400 annos progredientes Epactas inſcripſerat. Quibus paratis, ac quibuſdam obſervationibus ſervatis, Novilunia Pleniluniave media, abſque ulla dierum detractione computabantur.

Si eam computandi rationem à Vieta commentam, pluribuſque obſervationibus obnoxiam, adeò extollit Clavius, quid dixiſſet, ſi eam, quæ in meo libro continetur, vidiſſet. *Diſſ. X cap.* 4. *& Tab. XVII.* Ubi unica Epochâ ſive Radice Epactarum præſcriptâ, atque vulgari Chriſti Æræ annexâ, conſtructâque Tabula Annorum expanſorum à 4 per 4 progredientium, ſimilique Tabulâ Annorum Collectorum, à 400 per 400 procedentium, medias Luminarium conjunctiones, oppoſitioneſque poſt Correctionem, nedum Paſchales, ſed quaſcunque alias rectè & expeditè deprehenduntur. Quid dixiſſet? *Ut vel hinc P. Meliton intellexiſſet, eum, de ejus famâ nihil detrahere voluiſſe.*

Quid dixiſſet? Si in eadem diſſertatione legiſſet, unicâ ſimili Epochâ motuum mediorum ſolis ac Lunæ, veras Luminarium conjunctiones, Oppoſitioneſque quaſcunque poſt Correctionem rectè deprehendi. Quid dixiſſet? Attamen Bettazzius ejuſmodi commentum apud peritiſſimos Aſtronomos maximi habitum, reticet nec Verbum dicit. Suum opus Paſchale, ſingulis Libelli paginis, ad cœlum effert: In opere P. Melitonis nihil extollendum reperit. Sed videamus, an ejus animadverſiones veritate nitantur.

I.

QUod primùm in meo opere reprehendit Bettazzius, *pag.* 1. 5. *Nell. aver.* ſunt quædam Hiſtorica Geſta tum Ethnica tum Eccleſiaſtica, quæ dicit, abſque debita auctoritate à me eſſe aſſerta, maximè quæ ad Julianam Correctionem, controverſiaſque de Paſchatis celebratione primis Eccleſiæ ſæculis ſpectant.

Pace ejus dicam, audiat eruditorum virorum obſervationem, aiunt enim, eum, qui cujuſdam libri examen maximè criticum ſuſcipit; priuſquam ſententiam proferat, Auctoris ſcopum, qui vel intitulatione, vel in præfatione innoteſcit, perpendere teneri. Si rectam hanc obſervationem advertiſſet Bettazzius, agnoviſſet utique, quidquid mihi vitio tribuit, laudi vertendum. Mei operis ſcopus non eſt Hiſtorica geſta enucleare, neque Chronologiam texere, ſed ſolummodò, *Gregorianam Correctionem illuſtrare, ampliare, atque à conviciis vindicare.* Quidquid extra eas metas dicerem, eſſet aberrare à ſcopo propoſito. Tametſi vera ac mirabilia dicerem, eſſent magni paſſus extra Viam.

Verum quidem eſt, ad majorem dicendorum intelligentiam, quædam

præludia in meo opere præmittenda duxi : de Calendario antiquorum Romanorum , de Julii cæſaris emendatione , de cyclis , de Periodis , de Epochis , de Paſchalibus controverſiis in exordio Eccleſiæ ortis , quædam erant prælibanda. Et hoc quidem feci , ſed uti expediebat ſummatim , abſque ſtrepitu controverſiæ , tantùmque ea dixi , quæ ad commendandam Gregorianam Correctionem neceſſaria arbitrabar.

Ipſemet Bettazzius aſſerit, *ibidem* , ea Hiſtorica geſta eſſe dubia, incerta ac difficillimæ inquiſitionis , propter illuſtrium virorum opiniones diverſas , imo injuriâ Temporum oblivioni ſepulta. Profectò non fuit mei otii neque propoſiti, veterum dicta recoquendo inſigne volumen edere. Monitumque Divi Pauli *Tim. c.* 14. inſequendo , *interminatas genealogias , quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem* , prudenter declinavi. Quæ tamen ſummatim dixi de Juliana Calendarii emendatione & de Paſchalibus controverſiis , vera exiſtimanda , quia ea ex illuſtribus Viris Beda , Clavio , Petavio aliiſque auctoribus deprompſi.

I I.

PRoſequitur eruditus Bettazzius, meque reprehendit, quòd Solares Eclipticæ Gradus Menſibus , Diebuſque Anni perperàm præfixerim. Ad Commendandam Gregorianam Correctionem , dixi *Diſſ. XI. cap.* 1. *p.* 170. Annum cœleſtem , Anno civili , ac duodecim ſigna Zodiaci , duodecim Menſibus uſualibus eſſe accommodanda. Ut ſic in eodem Calendario , & locus ſolis , & Lunæ ætas , ſingulis diebus , utcunque innoteſcerent. Quocirca *Diſſ XII pag* 215. in novo meo Pleniluniorum Calendario *col.* 2. Gradus Zodiaci ſingulis Anni diebus diſtribuens , diem 21 Martii ſignavi Charactere o , deſignanti in exordio hujus diei , decurſis 30 Gradibus Piſcium , ſolem percurrere primum Gradum Arietis. Diei 22 Martii annecto numerum 1 ſignificantem ea die , decurſo primo Gradu Arietis , ſolem verſari in ſecundo : Sic de cæteris , uſque ad diem 20 Aprilis , cui Characterem o adſcribo deſignantem in exordio hujus diei , decurſo ſigno Arietis ſolem percurrere primum Gradum Tauri. Diei 21 Aprilis præfigo numerum 1 , exhibentem ea die , decurſo primo Gradu Tauri ſolem percurrere ſecundum. Sic de cæteris. Ejuſmodi Graduum diſtributio ſat accuratè motum ſolis exhibet , & eſt quaſi vulgaris Aſtronomia , quâ ſitus ſolis in Zodiaco utcunque deprehenditur. Ea quoque diſtributione apertè colligitur, me efficere primum menſem ſolarem 30 dierum , videlicet à 21 Martii incluſivè ad 20 Aprilis excluſivè.

Contra ejuſmodi vulgarem diſtributionem curſûs ſolaris , inſurgit Bettazzius , meque graviter deliquiſſe , redarguit. Etenim *pag.* 3. §. *Ma perche* , Ait , *Sed quia iſte Religioſus nulli parcens Labori, inſiſtit diſcurrere de menſibus anni ſolaris* ; *liceat rem explicare verbis S. Ambroſii* ; non ſecundùm vulgarem uſum , ſed ſecundùm conſuetudinem peritorum. *Id eſt , Menſes anni ſolaris non eſſe aſſumendos , juxta inveteratum communem uſum , ſed juxta Zodiaci ſigna : Statuit ille, civilem primum menſem ſolarem , qui eſt ſigni Arietis , quod quidam Martem appellant, tri-*

Digitized by Google

ginta dierum : Eumque abſolvit die 20 uſualis menſis Aprilis. Me cohibere nequeo , quin advertam , eam aſſertionem adverſari Doctrinæ materiæ Paſchalis , Praxi Sedis Apoſtolicæ , atque Documentis SS. Patrum tam Græcorum quàm Latinorum. Iſte namque Menſis Anni cœleſtis 31 dies colligere debet & abſolvi die 21 Aprilis. Imo jam explicavi in dicto meo opere , videlicet Paſchali , *eam eſſe unicam rationem , cur ſancta Sedes Dominicam Paſchalem ad 25 Aprilis & non ultra protrahere poteſt. Quia dies Mortis , Sepulturæ & Reſurrectionis D. N. Jeſu-Chriſti , videlicet dies Lunæ XV , XVI & XVII debent incidere , ſicut revera ſemper reperiuntur in primum Menſem , juxta ſolis curſum civilem.* Ita Bettazzius.

En magnus error in meo opere , ſummam ignorantiam redolens , ad Hæreſim propemodùm accedens , cum eo dicente , adverſetur Doctrinæ , Praxi & traditioni Eccleſiæ.

Sed dicat iſte Plebanus , Quorſum veteris ſtili Computiſtas tam Græcos quàm Latinos allegat , ut in novum Calendarium ſummam confuſionem perfundat ? Quorſum civile computum , ſolari curſui valde diſſentaneum , ad meam aſſertionem expugnandam adhibet. Scimus quidem , civile computum à C. Nicæno , primum Arietis Gradum præfixiſſe die 21 Martii : attamen ſæculo nono , ea die uſuali 21 Martii , quartum circiter Gradum Arietis ſol percuttebat : Sæculo duodecimo , ſeptimum Gradum ; & ſæculo ſextodecimo , decimum Gradum : Qui tunc temporis dixiſſet , dici 21 Martii , non præfigendum eſſe in Calendario primum Gradum Arietis , in eum inſurgere potuiſſent , eum contradicere *Doctrinæ materiæ Paſchalis , Praxi Sedis Apoſtolicæ , & documentis SS. Patrum tam Græcorum quàm Latinorum.* Nihilominus non-ne verum dixiſſet , & ſecundum peritorum Aſtronomorum ſententiam ſcripſiſſet. Idem dicendum de Bettazziana animadverſione , eò quòd primum menſem ſolarem ad 21 Aprilis non extendi.

Ageſis Mi Bettazzi , ini Calculos Aſtronomicos , à tempore C. Nicæni ad Correctionem & ab ea ad plura Annorum millia , quid deprehendes ? Solem die 21 Aprilis numquam verſatum fuiſſe in ſigno Arietis ; cur ergo ea dies primo menſe ſolari eſt aſſignanda : Abſque calculo tuus error patefit. Ex Decreto C. Nicæni , civilis dies 21 Martii primo Gradui Arietis ſive Æquinoctio adſcribenda : Ex tua Doctrina Paſchali , civilis dies 21 Aprilis ultimo Gradui ejuſdem Arietis tribuenda ; ut Quartadecima Lunâ in diem 18 Aprilis incidente , Luna XVII , numeretur die 21 Aprilis , ſole perſiſtente in Ariete. Jam connumera dies à 21 Martii incluſivè ad 21 Aprilis etiam incluſivè , deprehendes tuum civilem primum menſem ſolarem conſtitui non 31 , ſed 32 diebus. Quid dices ? Si excludas ab ejuſmodi menſe primam diem videlicet 21 Martii , contradicis Nicæno Decreto : Si ultimam , contradicis *Doctrinæ materiæ Paſchalis , Praxi Sedis Apoſtolicæ , atque Sententiis SS Patrum.* Si ambos terminos & 21 Martii & 21 Aprilis. in eodem primo menſe ſolari complectaris , eum efficis 32 dierum. Quid ad hæc ? Primus civilis menſis ſolaris 32 dierum , Quo omnia confundas , erit-ne admittendus ? Num dices *Lunam XVII debere incidere ſicut revera ſemper reperitur , in primum menſem juxta*

ſolis

Digitized by Google

ſolis curſum civilem. Undenam eam Doctrinam hauſiſti? Ex Scriptura Sacra? Sed in ea, de Anno ſolari cæleſti neque civili, nulla fit mentio. Ex SS Patribus? aſſigna concilium aut decretum Apoſtolicum. Ex Aſtronomia? Ini calculum motusque medios verosve collige: nunquam reperies ſolem verſari in Ariete per 32 dies. Sol percurrit 30 Gradus Eclipticæ, motu ſuo medio, Diebus 30, horis 10 29' 4". Motu autem vero percurrit ſignum Arietis, Diebus 30, horis 13 8' 31". Bettazzius autem prætendit ſolem conſiſtere in Ariete 32 diebus. Num dormiet ad expectandam Lunam XVII, die vigeſimo primo Aprilis, quando Quartadecima contingit die 18 Aprilis: Aut ſtabit, antiquâ Auctoritate SS Patrum Græcorum & Latinorum, quam pro te phiſica inconſultò allegat Bettazzius?

Majoris-ne Roboris eſt Argumentum ſubſequens? *Ea eſt unica ratio*, inquis, videlicet ſole perſiſtente in Ariete die 21 Aprilis. *Cur Sancta ſedes Dominicam Paſchalem ad 25 Aprilis & non ultra, protrahere poteſt.* Norunt omnes, eam porrectionem fieri, ne cum judæis in eſu Agni miſtici conveniamus. Cum namque Quartadecima Luna Paſchalis in Dominicam diem 18 Aprilis, extimum terminum Quartadecimarum Paſchalium incidit, tunc ſecundùm conciliorum decreta, Paſchalis Solemnitas, ad 25 Aprilis Lunam 21 protrahenda: Tu autem dicis, eam porrectionem poſſe tantùm fieri, quia ſol die 21 Aprilis, reſidet in ſigno Arietis. Quis non videt ſrivolum eſſe diſcurſum, & cauſam pro non cauſa allegari. Sic eum reputavit Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui floruit Anno 1273, In rationali Officiorum. lib. 8. ubi. *Sol quidem in aliquod de prædictis ſignis ingreditur, quolibet Menſe XV Calendas ſecundum Eccleſiam.* Itaque eo ſæculo, juxta Durandum atque uſum Eccleſiaſticum, ſol ingrediebatur in Arietem XV Calendas Apriles, videlicet die 18 Martii: in Taurum, XV Calendas Majas, videlicet die 17 Aprilis: ſic de cæteris: Tametſi Termini Paſchales idem eſſent ac nunc ſunt. Sed ſi primus menſis ſolaris civilis, juxta Durandum, ſit à 18 Martii incluſivè, ad 17 Aprilis excluſivè, is menſis eſt 30 dierum: Bettazzius autem eum vellet 32 dierum.

Pergit adhuc Bettazzius. *Dies Mortis, Sepulturæ, & Reſurrectionis Chriſti*, videlicet Luna XV, XVI, & XVII debent ſemper contingere, ſole exiſtente in Ariete: Sed Lunâ XIV incidenti in diem 18 Aprilis, Luna XVII die 21 Aprilis enuntiatur: Ergo eadem die 21 Aprilis, ſol exiſtit, aut exiſtere reputandus eſt in Ariete. Undenam habet iſte Plebanus, eas Lunas debere ſemper contingere ſole exiſtente in Ariete, alioquin Quartamdecimam Lunam Paſchalem eſſe illegitimam. Reſpondeat in quo Concilio ejuſmodi Decretum fuit editum? Ediſcat, aliud eſſe Lunam Decimam-Septimam Paſchalem quandoque contingere Die 21 Aprilis: Aliud, ſolem verſari in Ariete, Die 21 Aprilis. Primum, ex Doctrina Catholica, ex Conciliorum Decretis, ex Praxi Sedis Apoſtolicæ, liquidò innoteſcit. Quotieſcunque Quartadecima Luna contigit die 18 Aprilis, Lunam Decimamſeptimam, die 21 Aprilis contingere neceſſe eſt. Secundum, videlicet ſolem exiſtere in Ariete die 21 Aprilis, nunquam definitum ab Eccleſia, nunquam juxta Aſtronomicos calculos contigit. Sed de facto,

Digitized by Google

concludes, juxta curſum civilem à computiſtis diſpoſitum, in ſolari primo menſe triplex hæc Luna reperitur. Quovis pignore contendam, ad aſſertam propoſitionem probandam, te allaturum auctores veteris Calendarii; quibus ad nutum, non juxta ſtatum cœli, ſolis Gradus diebus menſium annectere lubuit. Sed conferamus manus, in re, meo quidem ſenſu, minimi momenti; minimeque notandâ: Sit primus ſolaris menſis plenus, videlicet 31 dierum; ſit vacuus videlicet 30 dierum parvi intereſt: numquam tamen ſi dies 21 Martii, uti oportet, in eo includatur, diem 21 Aprilis comprehendet. Ad majora properemus.

III.

IN Gregorianum computum Lunare à me illuſtratum & ampliatum complura objicit, compluraque improbat eruditus Bettazzius: an rectè, an erroneè: an zelo veritatis, an contentioſo animo perpendendum.

In computo Lunari temporis volventis & futuri, nihil novi dicit Pater Capucinus, inquit, Ariſtarcus noſter pag. 3. 5. in tomo. *Eaſdem adhibet Epactas, quæ nunc ſunt in uſu ac erunt in poſterum.* Ita ſane abſit, quod contra ſcopum mei operis aliquid ſcripſiſſem. Sed ibi incipit animadverſio, ibi anſa cenſuræ. Pergit enim. *Quin ullum dicat Verbum de modo, quo proceſſit in earum elucubratione.* Legat quilibet, *Diſſ. VIII. caput* 5. *&* 6. Ubi poſitis principiis Gregorianis, methodo peculiari ac liquida, à nullo alio perviâ, Tabulam Æquationum conficio: Et advertet an falſum proferat Bettazzius. *Gregorianas quoque æquationes ultra annum* 8100 *protrahit, quin Verbum faciat, nullumque ſignum præbeat, quod ſcierit aut adverterit novam æquationem à Clavio adhibitam & commendatam in ſua expoſitione Calendarii cap.* 12. Bene quidem, num Calendarium Clavianum illuſtrandum ſuſceperam, non-ne Gregorianum? Ipſemet Clavius proferens Tabulam æquationum cycli Epactarum perpetui, ex ſententia Auctoris Calendarii videlicet Gregorii XIII *cap.* 11. *pag.* 112. Tametſi Anno 8100 notam annectat, eaſdem æquationes ſubſequentibus centeſimis annis uſque ad 294500 annos proſequitur, quin eamdem notam renovet. Deinde ſcribens contra Mæſtlinum *l.* 2. *cap.* 4. *pag. mihi* 70. Ubi Gregorianas æquationes ad Annum 43800 protrahit, nullum ſignum, nullam notam, nullum verbum profert de ſua nova æquatione.

Præterea ipſemet Clavius, *cap.* 12. *n.* 10. *p. mihi* 156. profitetur eam æquationem non eſſe ſimpliciter neceſſariam poſteriſque, ſi expedierit, exequendam, relinquendam: Imo non expedire ei videtur, ut ratio æquationis difficilior Eccleſiæ modò proponatur; eamque curioſis tantum tradit. Inſuper pluribus calculis deprehendi, quorum unum de anno Chriſti 9004 profero. *Diſſ. XI c.* 4. *pag.* 181. Gregorianam Correctionem rectiùs procedere abſque Claviana reſtauratione. Iis momentoſis rationibus ductus, ſemotâ contentionis animo, Gregorianas æquationes in meo libro propoſui; prudenti, conſultoque ſilentio, ne defunctos ſuſcitare viderer, aut meum librum controverſiis ampliare, Clavianam æquationem intactam dimiſi.

Quod mihi laudi prudentes Lectores, notæ ignorantiæ tribuit Bettazzius.

Quid plura. Ipſemet Plebanus noſter, in ſua Epitome operis Paſchalis, eamdem Clavinianam æquationem impugnat. Ait enim pag. 120. *Unde mirum non eſt, ſi & ipſa Clavii reſtauratio, quæ licet valde commendabilis ſit, tamen ipſo reſtaurationis anno 8200 uſque ad annum 11300, (uti reſultat in comparativa demonſtratione per me elucubrata, cap. 28. atque notabitur poſt Tabulam Periodi maximæ.) Longe turpiùs procedit in indictione Paſchæ quoad menſem, quam procedat Gregoriana æquatio ſine reſtauratione.* Et pag. 131. *Clavius*, inquit, *ingenue fatetur ipſam Gregorianam Correctionem, indigere reſtauratione poſt Annum Domini 8100, licèt certò deprehendam, quod ab anno 8200 uſque ad annum 11300, rectiùs procedit quàm ipſius reſtauratio per Clavium edita.* Clavianam æquationem minus rectam cenſet ipſemet Bettazzius; meque carpat, Vernaculo ſermone apud ſciolos, eò quòd eam prudenti ſilentio præterierim. Judicent lectores, an hoc fiat zelo veritatis, an Typo contentionis.

IV.

NOn ibi ſiſtunt Bettazzii objurgationes. *pag. 3. §. Crede eſſe Religioſa.* Sic proſequitur. *Credit iſte Religioſus, Quartamdecimam Lunam eſſe eam diem civilem, in quam oppoſitio Lunæ contingit; quia currentes Epactæ, quaſi regulariter volventi ſæculo, ita eam deſignat: Quod exceptis paucis caſibus, in quibus, Plenilunio contingenti inter meridiem & occaſum ſolis, virtus Gnome adhibetur, adverſatur Doctrinæ Catholicæ, quæ docet & exigit, Quartamdecimam Lunam eſſe numerandam eam diem civilem, quæ proximè præcedit Plenilunium ſeu oppoſitionem Luminarium; quæ Dies civilis minimè eſt incipienda à media nocte, ſicuti idem Religioſus non bene ſibi perſuaſum habet, ſed ab occaſu ſolis.* Hæc verba duas propoſitiones complectuntur, quas immeritò, dicam veriùs, falsò mihi attribuit iſte Plebanus: Et ſuper eamdem falſam attributionem inſiſtit *pag. 4. §. in fatti.*

Porro cur tam craſſam computi Eccleſiaſtici imperitiam mihi arrogat Bettazzius. Iterum atque iterum meum opus percurrat, nullibi reperiet, me dixiſſe Quartamdecimam Lunam idealem ſeu Doctrinalem, non eſſe eam diem civilem, quæ proximè præcedit Plenilunium, ſeu mediam oppoſitionem Luminarium: Nullibi, Lunares dies à ſolis occaſu non eſſe computandos. Aſſignet diſſertationem, caput & paginam ubi ejuſmodi aſſertiones reponuntur. In omni lite debet conſtare de corpore delicti, priuſquam judex ultra procedat: uni Bettazzio libuit, contra jus, ad eruditionis oſtentationem, operiſque ab eo elucubrati commendationem, incogitatas propoſitiones mihi tribuere. Quidam, legens ejus libellum, dixit mihi; eum, more Poëtarum monſtra quædam finxiſſe, ut in detrimentum veritatis famæque proximi, Glorioſam Victoriam reportaret. Ego vero ejus ingenuitatem agnoſcens, præventione aut inadvertentiâ defeciſſe arbitror.

Quartamdecimam Lunam idealem, ſeu Doctrinalem eſſe eam diem, quæ proximè præcedit Plenilunium medium, luce meridiana Clariùs compertum habetur. Etenim in quavis Hypotheſi, Alphonſina, Tychonica, Gregoriana, Hyræana, Caſſiniana & aliis quibuſcunque, Lunario Synodica conſtituitur 29 Dierum, 12 Horarum, in reſiduis ſcrupulis tota verſatur controverſia. Quocirca ſemilunatio media conſtituens Plenilunium medium eſt 14 Dierum, 18 Horarum; Liquet ergo XIV Lunam eſſe eam diem, quæ proximè præcedit Quintamdecimam & XV Lunam ſemper comprehendere Plenilunium medium. Summa difficultatis in materia Paſchali conſiſtit, in reductione ad praxim ejuſmodi Doctrinæ Aſtronomicæ atque Catholicæ, quâ, diebus civilibus ab occaſu ſolis inceptis, Quartadecima Luna cyclicè ordinata, quotannis deprehendatur die proxima ante Plenilunium medium. Hoc opus, Hic labor. Ejuſmodi cyclum, à primævis Eccleſiæ ſæculis inveſtigatum, hactenus non excogitaverunt computiſtæ: neque judæi in Synagoga*, neque ſancti Patres Græci atque Latini, illi etiam quorum auctoritate fulcitur Bettazzius, neque ipſemet cum ſuis pſeudo-cyclis. Facile eſt idealia principia ſtatuere: Quale eſt illud, *Quartadecima Luna eſt illa civilis dies, quæ immediatè præcedit diem civilem, in quo contingit medium Plenilunium, ſalvo uſu Gnome. Epitom. Diſſ. 3. corol. 2. pag.* 81. Sed ad cyclum ea deducere, quin aliquo vitio Laboret, nulli hominum adhuc datum eſt, ut ait Clavius, Petavius, ac ipſemet Bettazzius.

Lunaris autem cyclus Gregorianus, omnibus penſatis, propiùs, commodiùs, atque populariùs, ad legitimam Paſchalis rationem accedit, quàm quicunque alius uſquemodò à computiſtis elucubratus. Quocirca paſſim dico in meo opere, Quartamdecimam Lunam eſſe eam diem civilem, quæ ab Epacta annua incluſivè numerata, in Calendario deprehenditur. Imo eam XIV Lunam pro Plenilunio vero, Medio ve civiliter aſſumi poſſe ad venandam ætatem Lunæ, eamque Plenilunium appello, Epactiſque Quartadecimarum Lunarum & Calendarium ex iis conſtructum, Pleniluniorum Epactas atque Pleniluniorum Calendarium nuncupo.

Hinc inſurgit Bettazzius, me ita ſcripſiſſe *quia currentes Epactæ volventi ſæculo, quaſi regulariter Quartamdecimam Lunam in die Plenilunii medii aſſignant.* Hanc rationem toto niſu improbo, atque temerario mihi attributam proclamo. Vera ratio eſt, quia Correctores, Clavii calamo, cui ſumma Calendarii explicandi à Clemente VIII commiſſa fuit, aiunt, ut ſupra retuli. *pag.* 24. *Maxima curâ ac diligentiâ, in cyclo Epactarum eligendo, obſervare conati ſumus . . . Ut Lunæ XIV Paſchales vel uno tantùm die medias oppoſitiones præveniant, vel in eaſdem omnino incidant, vel denique non longè poſt illas contingant. Neque hoc temerè aut caſu factum eſt à nobis, ſed de induſtria, ac magno Conſilio.* Hæc eſt vera ratio, cur Quartadecimæ Lunæ Gregorianæ in diem Plenilunii medii contingant, non tantùm volventi ſæculo, ſed etiam futuris & præteritis. Quod Comprobatum habetur in meo opere, multiplici plurium ſæculorum Eclipſi, ab Anno Chriſto anteriori 772 ad Annum Chriſti 1600, aliiſque complutibus calculis. Hæc eſt vera ratio, cur dico, quod

ſi Plenilunium medium pridie aut poſtridie Quartædecimæ Lunæ contingat, quibuſdam tantùm horis promovetur vel removetur: Imo adjicio: quod ſi, die ſolida, Plenilunium præcederet Quartamdecimam Lunam, rueret Gregoriana correctio, atque reſtauratione indigeret. Hæc eſt vera ratio, cur fideli populo Gregorianum Calendarium explanando, Quartamdecimam Lunam Plenilunium appello.

Similiter quis ibit inficias, exordium diei in ratione Paſchatis ab occaſu ſolis eſſe aſſumendum. Non-ne judæi, quibus primum Paſcha indictum fuit, ab occaſu ſolis dies, feriaſque incipiebant. Non-ne Moïſes dies creationis eodem modo enumeravit. Non-ne à Veſpera ad Veſperam celebrare Sabbata, præceptum erat in lege. *Exod.* 23. 15. Non-ne in Evangelio legitur veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati. *Math.* 28. Non-ne prima phaſis Lunæ, veſpere immediatè poſt occaſum ſolis conſpicitur. Liquet ergo, in ratione Paſchatis nos imitandos eſſe judæos pro computo Lunari & pro diei exordio; & ab eis tantùm diſcrepare, celebrando Paſcha die Dominica proximè ſubſequenti XIV Lunam.

Quod omne, cum mihi ab Ævo compertum ſit, quidquid dicat Bettazzius; nihilominus explicando Gregorianum Calendarium, confuſionis vitandæ gratiâ, diem à media nocte incipere ſuppoſui, quia tametſi in ratione Paſchatis, exordium diei Doctrinale ab occaſu ſolis ſit aſſumendum, attamen uſuale & civile exordium à media nocte eſt uſurpandum. Non-ne hoc idem profitetur Plebanus noſter referendo Gregorianas Hypotheſes, quibus patet, Correctores nunquam prætendiſſe immutare civile exordium diei à media nocte. *Epitom. pag.* 24 & 54 quarum prima hæc eſt: *Dies, qui 24 horis finitur, juxtà veterem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, à mediâ nocte incipiat: ac Doctrinæ causâ, in quatuor (uti olim apud Hebræos) dividatur partes, ſive quadrantes, quorum quiſque ſex horas amplectitur.* Secunda. *Si Plenilunium in aliquo ex primis diei quadrantibus eſſe contingat, in eamdem diem incidere dicatur; ſi verò in poſtremo quadrante id accidat, ſequentis diei eſſe intelligatur: in Novilunio autem ratio tam exquiſita non eſt exigenda.*

V.

ALiud majoris momenti Carpendum, in meo opere adinvenit eruditus Bettazzius. Animadvertens ego, computiſtas, Quartaſdecimas Lunas Paſchales inveſtigare, atque in Tabulis exponere; de Neomeniis autem ſeu primis Lunis modica verba proferre: ita Cyrillus Alexandrinus Antiſtes, Dioniſius exiguus, Beda, Clavius, Petavius, & alii. Animadvertens etiam, Quartadecima Lunâ conſtituta, retrogrediendo vel progrediendo, primas Lunas per Numeros Aureos vel per Epactas in Calendario indicari: Atque in Praxi, datâ Epacta Neomenarium, Quartadecima Luna eſt inquirenda. Animadvertens, inquam, cum curſum & recurſum à Quartadecima Luna ad primam; & iterum à Prima ad Quartamdecimam eſſe ambages intricatas: Epactas annuas Quartadecimarum Lunarum excogitavi, quibus cognitis, dies civiles earum, nedum Paſchalium verùmetiam aliorum menſium, illicò

Digitized by Google

& certò deprehenderentur. Ejuſmodi Epactarum Tabulam expanſam, imo Calendarium confeci, illudque Summo Pontifici propoſui. *Diſſ. X. pag.* 123.

Hoc novum commentum, à pluribus maximi habitum, non arriſit Bettazzio: abſolutè pronunciat *à ſanƈta ſede non eſſe admiſſibile. pag.* 2. 5. *Il nuovo.* Ecquis ejuſmodi ſententiam non prævidiſſet, à judice Gregorianum ſyſtema reprobante. Mei commenti ſoliditatem, claritatem, brevitatem ad Quartaſdecimas Lunas ejuſque ætatem, ſingulis diebus certò & expeditiùs habendam, infirmare nequivit, nihilominus propter extrinſecas rationes definit *non eſſe admiſſibile.* Audiamus eaſque perpendamus: Sex allegat, ejus quidem ſenſu momentoſas, ſed quorumdam judicio leviſſimas.

Prima Ratio. *Quia nulla eſt neceſſitas, meum novum Calendarium admittendi.* Undenam didicit Bettazzius, neceſſitatem eſſe unicam admiſſionis cauſam. Perſpecuitas, facilitas, Brevitas, vulgi commodum ad accuratiùs ætatem Lunæ venandam, in meo novo Calendario reperiuntur: hæc commoda, in eadem diſſertatione demonſtrata, nullius ponderis ſunt apud eum. Dicat, quis ſapiens, Quartamdecimam Lunam, ejuſque ætatem inveſtigaturus, non-ne breviorem, clariorem, expeditiorem, atque certiorem viam præferet: alteri prolixæ, obſcuræ & incertæ. Exigui ergo momenti eſt ejus prima ratio. Ponderemus alias.

Secunda. *Quia nulla eſſet indicatio, ad primas ultimaſque Lunas deprehendendas, tam in menſibus vacuis quàm plenis, niſi eam, quæ deducenda eſſet ex XIV Lunâ futura*, adde, aut præteritâ. Ecquis tam inexpertus ad calculum reperitur, qui à XIV Luna ad primam, vel ad 29 aut 30 neſciat numerare. In veteri atque novo Calendario, nulla datur indicatio Quartædecimæ Lunæ, attamen rectè deprehenditur. *Si Eminentiſſimus Noris*, pergit Bettazzius, *antiquos Patres redarguat, eò quòd Annum ſacrum deſignaverant per XIV Lunam Paſchalem, non verò per Neomeniam, ſeu per Novilunium cyclare, quid diceret de Calendario P. Capucini.* Additque, eum eruditiſſimum Cardinalem, *perperam ſanƈtos Patres arguiſſe, non attendens ad profundam Doƈtrinam, qua innitebatur eorum diſcurſus.* Si ergo is Eminentiſſimus meas novas Epactas vidiſſet, vel plauſiſſet ad tam eximiam elucubrationem: Sin contra, perperam eas rejeciſſet, non attendens ad plura commoda ex iis provenientia.

Tertia Ratio. *Quia meæ novæ Epaƈtæ mutant ſubſtantialiter Gregorianum Calendarium. Siquidem non retinendo eamdem Epaƈtarum congeminationem, efficientem menſes vacuos, Calendarium & Martirologium eſſet invertendum: Imo Emboliſmici menſes immutarentur: dieſque reſidui in fine anni Epaƈtam futuri indicantes, plerunque eam non exhiberent.* Undenam colligit eruditus Bettazzius, Gregoriani Calendarii ſubſtantialem mutationem aut inverſionem? Subſtantialis mutatio ea eſſet, quæ primas ſeu Quartaſdecimas Lunas Paſchales iiſdem diebus non indicaret, quibus Gregoriana correctio eas enunciat, hæc mutatio intrinſeca & ſubſtantialis dicenda: Sicuti fieret, ſi novi cycli à Bettazzio propoſiti admitterentur. Cæteræ autem mutationes Calendarii & Martirologii, materiales & acciden-

tales habendæ. Porro fiant calculi, quotquot libuerit, tam pro futuris quàm præteritis annis: & numquam in meo novo Calendario deprehendetur dies civilis Quartædecimæ Lunæ, & conſequenter Primæ, diverſa ab ea, quæ per Epactas Gregorianas deprehenduntur. Mea ergo nova methodus, tametſi mutationem unius Epactæ congeminatæ ad efficiendos menſes vacuos; mutationem quoque unius litteræ congeminatæ in Martirologio, ſupponat: Non ideò ſubſtantialem mutationem Calendario Gregoriano infert.

Per meum novum Calendarium, meaſque novas Epactas immutantur Anni Emboliſmici, pergit Bettazzius. Etiam. Quia diverſæ Epactarum ſeries, diverſos annos Lunares conficiunt: Non-ne idem advenit, quotieſcunque in pluribus ſæculis immutantur ſeries. Quid inde? Times-ne, Gregorianum Calendarium ex eo perturbari? Minimè. Compeſce timorem potiùs clamorem: Et exemplo te confirma. Anno 1741 congruit Numerus Aureus 13, primarum Lunarum Epacta XII, Quartadecimarum autem Epacta XXIX. Is Annus, ſecundùm primam Epactam fuit communis duodecim Lunationum: Secundùm aliam, fuit Emboliſmicus 13 Lunationum. Ecce tuum ſuppoſititium incommodum, mi Plebane Pratenſis. Porro accipe Breviarium, Calendarium evolve, ubi Epactam XII reperies, primam Lunam Gregorianam annuntiabis, ediſcito etiam, ubi in eodem Breviario Epactam XXIX deprehendes, eſſe diem Quartædecimæ item Gregorianæ. Quodnam incommodum provenit ex immutatione Anni Emboliſmici? Nullum. Quare ergo auribus vulgi illud extollis, quaſi eſſet verum. Dices, ſaltem dies reſidui in fine anni Epactam futuri indicantes, plerunque eam non exhiberent: Ejuſmodi objectioni, non à Bettazzio excogitatæ, ſed ex meo Libro excerptæ, ibidem abundè reſpondi, eòque Lectores remitto.

Quarta ratio vel riſum concitat aut phlegma commovet; quis enim non irredebit Bettazzium dicentem, inadmiſſibile eſſe meum Calendarium, *quia opponitur Diplomatibus Gregorii XIII & Clementis VIII, qui jure merito dixerunt, Gregorianum Calendarium fore perpetuum.* Auctoritati Summorum Pontificum nullam reverentiam exhibet: Cum in inſtitutione aut in confirmatione Calendarii, eos erraſſe atque hallucinatos fuiſſe ſubobſcurè afirmat, Epocham cycli Solaris 400 Annorum Anno 1600 annectendo: Et periodum quoque Lunarem 2500 Annorum aſſumendo: Et pro modica immutatione unius Epactæ in Calendario, tanto zelo ardet? Cum ſolarem Epocham 400 Annorum, ad Annum 1600 à Gregorio XIII indictam ad Annum 1700 promovendam in ſuis cyclis proponit: Invertit omnem ſeriem Litterarum Dominicalium Gregorianarum. Cum etiam Periodi Lunaris 2500 Annorum Epocham, à Gregorio XIII Anno Chriſti 550 præſtitutam, juxta explicationem Clavii à Clemente VIII approbatam, Anno 500 annectit Bettazzius: vel in ſuis cyclis nulli anno adſcribit, ſed ad libitum æquationes Lunares, abſque ulla ſerie & ordine, annis centeſimis effrenatè adhibet; Gregorianas Epactas penitùs invertit: Tabulam Epactarum expanſam, atque æquationum cycli Epactarum perpetui, quas ſumma induſtriâ & labore tam Lilius quàm Correctores excogitarunt, ſuis

Digitized by Google

novis cyclis inutiles efficit, & à Calendario eliminat. Præterea Tabulæ temporariæ à præcedentibus extractæ, in Breviario, Miſſali, & Martirologio inſcriptæ inutiles evadunt, eiſque aliæ Tabulæ ſuis pſeudocyclis conformes, cum novis rubricis ſubſtituendæ eſſent in libris Eccleſiaſticis. Inſuper quòd interruptio fili Numerorum Aureorum, atque immutatio Saltûs Lunæ, in cyclo Decennovennali, Gregorianum Calendarium invertat; ſuſque déque habet. Tot & tantæ immutationes, judicio Bettazzii, non opponuntur Diplomatibus Gregorii XIII, neque Clementis VIII, quia ſeriem Epactarum Diebus menſium & ſeriem Litterarum Diebus Martirologii illibatam retinet. Cum autem Pater Capucinus, intactis Periodis, Tabulis, Rubricis, Numeriſque Aureis, novam Gregoriana Correctione utendi rationem proponit: quæ ad ejus perfectionem ſex tantùm mutationes unius Epactæ in Calendario, & unius Litteræ in Martirologio exigeret: inadmiſſibilem exiſtimat Bettazzius, quia eſt contra Diplomata Summorum Pontificum declarantium Gregorianum Calendarium eſſe perpetuum. Æquiorum Lectorum ſit judicium, quis è nobis majorem mutationem Calendario inferat.

Quid plura? In prologo Epitomes operis Paſchalis, ait Bettazzius, *ſe proferre opportunam Gregorianæ æquationis emendationem, abſque Calendarii & Martirologii mutatione.* Quomodo eam immutabilitatem proferre poteſt: admittendo variationem Epactarum annuarum ex ejus cyclis provenientem. Num diverſæ æquationes Annis centeſimis adhibendæ, num Tabulæ temporariæ ad Calendarium non pertinent? & hæc omnia ejus emendatione admiſſa in Calendario deberent immutari. Imo in Libello *pag.* 7. §. *Tanto più.* Ait, *Correctionem à ſe propoſitam, nullam Calendarii mutationem exigere, Summumque Pontificem paucis verbis eam præſtituere poſſe: Neque ad ejus executionem ullum librum Eccleſiaſticum reimprimendum, neque etiam unius aſſis diſpendium requirere, cum unico numiſtate res tota confici poſſit.* Quis talia audiens ad riſum non concitabitur? Libri Eccleſiaſtici, vidicet, Breviarium, Miſſale, Martirologium abſque Epactis Annorum Collectorum & expanſorum, in Tabulis rectè digeſtis, & in rubricis explicatis, eſſe nequeunt: Ut cognita Epactâ annua, Paſcha aliaque Feſta mobilia innoteſcant: Ex Hypotheſi autem, admiſſo aliquo ex cyclis Bettazzii, novæ ejus Epactæ, abſque nova librorum Eccleſiaſticorum editione ac abſque unius aſſis diſpendio, poterunt promulgari per Eccleſias: quis credet?

Quintam rationem paulò ampliùs debuiſſet extendere eruditus Bettazzius, ut liquidiùs ejus mens intelligeretur. Meum novum Quartadecimarum Lunarum Calendarium non eſt admiſſibile, inquit, *quia civilis Annus Lunaris eſſet ordinatus juxta rationem Anni Sacri, attamen ambo illi Anni Lunares, nempe civilis & ſacer, ſunt diverſi, ratione eorum exordii & Emboliſmorum collocatione.* Quid velit dicere non planè intelligo, liquidò tamen percipio, nihil dicere contra me, qui, Epactis Quartaſdecimas Lunas indicantibus, aliud exordium non aſſignavi, quàm Anni Gregoriani, ſcilicet primam diem Januarii, è qua Emboliſmici menſes rectè ſubſequuntur: quemadmodum in ipſo Gregoriano Calendario. Epactæ enim

cujuſlibet

cujuſlibet ſeriei, quodam ſæculo, Quartaſdecimas Lunas indicantes, alio ſæculo primas Lunas indicarunt aut indicabunt. Sed, pergit Bettazzius, *omnes nationes*, *Epactis Primarum Lunarum ſunt aſſuetæ.* Non mirum, quia meum commentum nunquam & nuſquam apparuit. Ante Gregorianam Correctionem, omnes nationes aſſuetæ erant Numeris Aureis, nunc Noviluniorum Epactis: Si mea nova methodus admitteretur, Quartadecimarum Lunarum Epactis omnes aſſuefierent, potiùs quàm novis cyclis atque Epactis Bettazzianis.

Sextam rationem profert, in eodem ſenſu non bene perſpicuo ac præcedentem. *Quia*, inquit, *mea nova methodus non eſt etiam ordinata juxta rationem Anni ſacri, exordium namque hujus anni, juxta divum cyrillum Alexandrinum, Dioniſium exiguum, atque Venerabilem Bedam à P. Capucino allegatos, non erat à Quartadecima Paſchali anni volventis, ſed ab ea excluſivè anni præteriti ad Quartamdecimam incluſivè anni currentis.* Quis non videt, non candidè procedere Bettazzium, & uti vulgò dicitur, nodos in ſcirpo quærere. Cum in meo commento de alio exordio non agatur præter Kalendarum Jannariarum.

Agedum Plebane pratenſis, proſcribe quantum libuerit, meum novum Calendarium, tuæ ſpecioſæ rationes non impedient, quòminùs computiſtæ, in civilibus annuis Calendariis, meas Quartadecimarum Epactas unà cum aliis Primarùm Lunarum inſcribant. Non impedient, quò minùs populares atque etiam Togati viri eas adhibeant, ad expeditiùs Paſcha inquirendum, aut certiùs venandam Lunæ ætatem: & ex fructu agnoſcent mei commenti elegantiam.

VI.

PErgit eruditus Bettazzius, *pag.* 8. 5. *ſolamente.* Ubi acriter me reprehendit, quòd inverterim Epocham Gregorianæ Periodi Lunaris. „ Quia animadvertit iſte religioſus, inquit, in Tabula æquationum Martirologii, *adde Clavii atque Petavii*, *&c.* Primam æquationem Lunarem adhibendam eſſe Anno 1800: aliam Epocham Periodi Gregorianæ „ excogitavit; Eamque præfixit Anno vulgaris Æræ 1500. Præterea contra „ Lilii canonem atque Correctorum Decretum, non obſervavit ultimam „ æquationem adhibere poſt 400 annos: Sed omnes adhibuit poſt 300 „ annos, relinquendo ſæculum in fine Periodi abſque æquatione, adeò „ ut ſpatium 400 Annorum conficiat, ex ultimo ſæculo Periodi deſinentis, „ & ex tribus primis ſæculis Periodi incipientis, uti videre eſt in ejus „ Tabulis. Ea immutatione ſpatii 400 annorum evenit Patri Capucino, „ nullam diverſitatem adeſſe, inter ejus Epactas annis centeſimis futuris an„ nexas & alias Gregorianas dictas, quæ in Martirologio, & apud Cla„ vium. *Cap. XI.* iiſdem centeſimis Annis aſſignantur. Diverſitas autem „ Epactarum fuiſſet; Si Lilii ac Correctorum methodum obſervaſſet „ atque ſpatium 400 annorum adhibuiſſet in fine Periodi ab Epocha „ aſſumpta 1500, cum eàdem inverſione Epochæ atque ſpatii 400 an„ norum, procedunt Epactæ retrogradatæ ad Creationem mundi. Con-

„ ſequenter Epactæ Patris Capucini meritò dici nequeunt Gregorianæ pro
„ tempore præſenti neque futuro , multòminùs pro tempore præterito : pro
„ quo , ultra tranſlationem ſpatii 400 annorum , ſola mutatio Epochæ mag-
„ nam Epactarum diverſitatem producit. Ita Plebanus noſter.

Miror , tantæ ſagacitatis virum , tam graviter hallucinatum fuiſſe , aut me hallucinatum crediḋiſſe. *Epocham cycli Lunaris præfixit Anno* 1500. Utique , idque conſultò & de induſtria feci : Ad majorem plurium intelligentiam , ad excuſandam prolixam explicationem , atque ad facilitatem calculi. *Spatium* 400 *annorum in ultima æquatione non obſervavit.* Pace ejus dicam , falſum proferre iſtum Plebanum , cum ejuſmodi Epocham anno 1500 præfixerim , ea lege , ut Gregorianæ Epactæ centeſimis annis congruæ , nullomodo inverterentur , neque in progreſſione temporis futuri , neque in retroceſſione temporis præteriti.

Noveram planè , Correctores , Epocham Lunaris Periodi 2500 anni præfixiſſe Anno Chriſti 550 , eamque abſolviſſe anno 1800 : à quo aliam Periodum inceperunt , uti patet ex Tabulis Gregorii XIII , ejuſque Martirologii , Clavii , Petavii & quorumcunque computiſtarum. Hinc Annus 1800 erit numerus 2500 & ultimus Periodi : Annus 500 fuit ejuſdem , numerus 1200 : Et Annus ante Æram vulgarem 702 fuit primus numerus ejuſdem Periodi , *ut dixi ſupra pag.* 20. Cum ejuſdem Periodi numeros , ſingulis annis centeſimis atque intermediis congruos , aſſignare vellem , ut ſic vulgari Arithmeticâ , Epactarum ſeriem debitam centeſimis annis etiam remotiſſimis tam futuris quàm præteritis , quilibet inveſtigare poſſet. Quod revera docui , pro annis futuris , *Diſſ. XIII. cap.* 3. & pro præteritis , *Diſſ. XIV. cap.* 2 & 3. Quod commentum à pluribus maximi momenti habetur. Incongruum mihi viſum fuit , ejuſmodi Periodi numeros à vera Epocha Gregoriana , nempe ab anno 702 Ante Chriſtum : vel à mille Annis ante Correctionem videlicet ab Anno Chriſti 500 eam deducere , quod quidem mihi facile fuiſſet : Ad facilitatem calculi , centeſimo Anno proximo , antè Correctionem videlicet Anno 1500 eam præfigendam duxi : Ea tamen lege , ut ab ea Epocha accommodatâ æquationes deductæ , tam ſeptem poſt trecentos annos , quàm octava poſt quadringentos adhibendæ , juxta Canonem Lilii & Correctorum decretum : iiſdem centeſimis annis occurrerent , eaſdemque Epactas exhiberent , ac ſi à vera Epochâ Gregoriana deductæ fuiſſent. Quocirca haud verè dixit Bettarzius. *pag.* 8. §. *conqueſto.* *Mutationem Epochæ per ſe ſolam magnam Epactarum differentiam producere* : Quod non eſt verum , ſi Periodus Lunaris producatur eo modo , quo eam produxi in meis Tabulis. Additque , quod *unam poſt aliam poſſet exhibere differentiam , quia ſimilem retrogradationem confecit.* Pace ejus , eum provocare ad ſtandum promiſſis non vereor : Precorque Lectores , maximè ejus amicos , quorum precibus criticum mei operis libellum confecit : precor inquam , ut eum ex parte mei provocent , ut vel unicam Epactarum differentiam exhibeat , proſequendo Periodum à mea accommodata Epochâ anni 1500 , non Liliana methodo , ſed ea methodo accommodata quam adhibui , quæque patefit in Tabulis.

Quidni tanta fiduciâ loquerer. Cum ea conformitas Epactarum , ſive

Digitized by Google

deducantur à mea accommodata Epocha, ſive ab Epocha Correctorum, adeo vera & evidens eſt : ut ſi in Tabula VIII mei *libri pag.* 75. expungatur caracter. o ubicunque reperitur, & Anno 1800 numerum 8 adſcribas, deſignantem octavam æquationem 400 annorum, ei Anno adhibendam eſſe : & Anno 2100 numerum 1 : Anno 2400 numerum 2 : Sicque deſcendendo, mutatis numeris reliquorum centeſimorum annorum : Eadem Periodus eodem ordine depicta deprehendetur in meo libro, ac eſt in Calendario Gregorii XIII, Clavii, Petavii : nihilque dicendum reſtabit Bettazzio de meis Epactis pro tempore futuro. Similiter in Tabula XVI, *pag.* 103. Expuncto charactere o ubicunque reperitur, numeroque 1 Anno 1800 præfixo, mutato in 8, Anno 1400, numerum 7 : Anno 1100, numerum *6*, loco aliorum adſcribe ; Sicque aſcendendo mutatis numeris reliquorum centeſimorum annorum ; Periodus Lunaris 2500, ab Anno ante Chriſtum 5201 ad Annum poſt Chriſtum 2800, deprehenderur conformis Canoni Lilii ac Decreto Correctorum, atque Epactas centeſimis illis Annis, normâ Gregorianâ adſcriptas fuiſſe, omnes agnoſcent, ipſique oculi rei à me aſſertæ fidem facient. Quo liquidò animadverſo, ceſſabit utique Bettazzius, meis Epactis detrahere : Neque dicet ad libitum annis præteriis fuiſſe adſcriptas. Evidentia veritatis fateri cogetur, Epactas annis centeſimis futuris atque præteriris, tametſi ex accommodata Epocha Anni 1500 extractas, eſſe verè Gregorianas, atque ex Gregorianis cyclis, ſolari 400 annorum & Lunari 2500 an. accuratiſſimè eſſe deductas.

Miror iterum, Virum tantâ eruditione pollentem, eam non advertiſſe veritatem : Cum ex ſolo conſpectu Tabularum pateſiat, atque ex his quæ dicuntur Diſſ. IX. cap. 4. pag. 95. *Ubi*, *de Epactis ad Æram vulgarem retrogradatis.* Et ex multiplici comprobatione Eclipſium *cap.* 7. evidenter demonſtretur. Ediſcat modò Bettazzius, non verbis jactantiæ, ſed rationibus, computiſque demonſtratis Auctores eſſe confutandos.

V I I.

Aliam animadverſionem proſequitur Bettazzius, meum retrogradum computum floccipendit. Quia, inquit, pag. 7. §. il tempo. *Tempus præteritum ante Annum Chriſti* 1600, *computat Pater Capucinus totum prolepticum, hoc eſt, non quale fuit computatum, ſed quale fuiſſet, ſi à creatione uſque modò annus Solaris atque Lunaris juxta Gregorianum ſyſthema fuiſſent computati.* Et pag. 8. §. conqueſto. Ait, *ut me certiorem facerem, ſimilem retrogradationem confeci, cujus exemplar exhiberè non duxi neceſſarium : Quia novi, ejuſmodi computum in Chronologia non eſſe fidum ducem, multominus ad hoc inſerviet retrogradatio Patris Capucini.*

1. In his verbis, plura animadverſione digna deprehendo. Primum quidem ait Bettazzius, *me tempus præteritum ab Anno* 1600, *aſſumere totum prolepticum.* Ignorat-ne, tempus prolepticum dici illud, quod fingitur ante Epocham rerum à Moïſe determinatam, ſicuti fit in Dynaſtiis Ægyptiorum, ubi plura geſta fuiſſe narrantur, 1336 Annis ante Epocham

Moſaïcam, ſeu ante Creaťonem à Moïſe relatam. Unde, tempus prolepticum dicitur fabuloſum, opponiturque hiſtorico. Perperàm ergo aſſerit Bettazzius, in retrogrado computo *me aſſumere tempus totum prolepticum.* Verum quidem, cum explicare, quid intelligat per tempus prolepticum: hoc eſt, inquit, in retrogradatione Gregoriana me aſſumere tempus, *non quale fuit uſitatum, ſed quale fuiſſet, ſi à creatione mundi uſque modò Gregorianum ſyſtema fuiſſet uſitatum.* Neque ea explicatio mihi arridet: Scimus enim omnes, Gregorianum ſyſtema à paucis annis fuiſſe commentum & indictum. Idcirco dicendum veriùs, quomodocunque tempus præteritum à variis nationibus fuerit computatum, meo retrogrado computo, illud dimetior normâ Gregoriana, id eſt, ejus Anno Solari atque Lunari, ut definiam annum, menſem, maximè diem quibus res geſtæ ſunt.

2. Addit Bettazzius. *Similem retrogradationem confeciſſe, cujùs exemplar exhibere non duxit neceſſarium: Quia novit, non eſſe fidum ducem in materiis Chronologicis.* In propria cauſa ei credendum, ejus retrogradatio non eſt fidus dux ad Chronologiam perficiendam, quia forte in multis erraſſe ipſemet novit. Sed pergit Bettazzius, *multòminus ad hoc inſerviet retrogradatio Patris Capucini.* Uſquedum falsò atque calomniosè me dejiciet iſte Plebanus? Æquiores rerum æſtimatores judices in ea cauſa appello; Qui perpenſis Eclipſium comprobationibus relatis in meo libro *Diſſ. IX. cap.* 7. factiſque aliis calculis quantùm libuerit, agnoſcent meum retrogradum computum eſſe demonſtrativè verum, quòd autem ad perficiendam Cronologiam conducat, ſic demonſtratur.

Supponamus, quoddam facinus contigiſſe die 4 Septembris Anni Æræ vulgaris 85. Quamdam ſolis Eclipſem contigiſſe ſimili die 4 Sept. Anni 1187: Sicut revera contigit *ex Ricciolo*, atque refertur in meo libro. *pag.* 119. Quoddam præclarum geſtum factum fuiſſe ſimili die 4 Sept. Anni 1567. Ibi eſt enunciatio ſimilis diei trium diverſorum annorum. Præterea hi tres Anni 85, 1187, 1567 ſimilem numerum aureum 10, ſimilemque veterem Epactam IX habent. Quis non crederet, dies habentes eamdem ſedem in menſe Septembris, Annorum habentium eumdem numerum aureum, eamdemque Epactam, non habuiſſe eamdem relationem cum Sole & Lunâ, ita ut ſol verſaretur in Gradu virginis circiter 11. Luna autem 20 diem ætatis attingeret. Hoc ita verum ſupponebatur, ut in Tabulis Dioniſii exigui atque Bedæ eadem Quartadecima Luna Paſchalis iis tribus annis tribuatur.

Dicat Bettazzius, dies 4 Sept. Anni 1187, numerum aureum 10, & Epactam IX habentis, habuit-ne eandem relationem cum Sole & Lunâ, quam habuerat dies 4 Sept. Anni 85, ejuſdem numeri aurei & ejuſdem Epactæ? Aut etiam habuit-ne eamdem relationem cum Sole & Lunâ, quam habuit dies 4 Sept. Anni 1567, ejuſdem numeri aurei, & ejuſdem Epactæ? Pluribus calculis Aſtronomicis opus haberet ad deprehendum ſitum ſolis & Lunæ die 4 Sept. illorum annorum.

Si verò methodo à me præſcripta *Diſſ. IX. cap.* 3. ex denominationes temporis reducantur ad novum ſtilum, & ſeries Epactarum iis ſæculis congruentes aſſumantur ex Tabula XVI *pag.* 102. Certò & expeditè repe-

Digitized by Google

rietur : facinus contigiſſe die 2 Sept. Anni 85 , habentis numerum aureum 10 , Epactam XVI , Luna erat ætatis 27 dierum , ſol in Gradu virginis circiter 9 Verſabatur. Eclipſim contigiſſe die 11 Sept. Anni 1187 , cui numerus aureus 10 , & Epacta X congruit , Luna erat in Novilunio , Sol verò in Gradu virginis circiter 19. Geſtum contigiſſe die 14 Sept. Anni 1567 numerum aureum 10 , Epactam X habentis, Luna in Novilunio , ſol in Gradu virginis circiter 23 verſabatur. Ut quæ dico liquidius ipſis oculis appareat , ea breviter reſumere expedit.

Stilo veteri Juliano.

Facinus. 4 Sep. an. 85. n. aur. 10. Ep. IX. Luna 20. Sol 11 virg.
Eclipſis. 4 Sep. 1187. n. aur. 10. Ep. IX. Luna 20. Sol 11 virg.
Geſtum. 4 Sep. 1587. n. aur. 10. Ep. IX. Luna 20. Sol 11 virg.

Stilo novo Gregoriano.

Facinus. 2 Sep. an. 85. n. aur. 10. Ep. XVI. Luna 27. Sol 9 virg.
Eclipſis. 11 Sep. 1187. n. aur. 10. Ep. XII. Luna Nov. Sol 18 virg.
Geſtum. 14 Sep. 1567. n. aur. 10. Ep. X. Luna Nov. Sol 22 virg.

Enuntiationibus temporis veteris Stili ad Stilum Gregorianum reductis ; quod expeditè fit abſque calculis ; Propter relationem quam habent dies reducti cum noſtris decurrentibus , quilibet, facili marte, dignoſcet ſolis ſitum , ætatemque Lunæ illis diebus : Plùs minùs uno Gradu pro ſole ; unaque die pro Luna. Quid dicet Bettazzius ; Gregoriana computatio retrograda nullius erit utilitatis ad perficiendam Chronologiam ? Palinodiam canat , majoremque eruditionem acquirat.

3. Prætetea non-ne mecum conveniet eruditus Bettazzius , Annum Julianum , 45 annis ante vulgarem Epocham à Sozigene commentum , & præſtitutum à Julio Cæſare ; à Sanctis Patribus , Chronologis ac Aſtronomis fuiſſe utiliter retrogradatum ad Synagogæ ſæcula,ad conſignandas res geſtas priſcis temporibus. Antiquum tempus , à variis nationibus Ægyptiis , Babiloniis , Caldæis , Perſis , Romanis , &c. diverſimodè fuit computatum. Quælibet gens proprios Annos , menſes , dieſque menſium numerabat , quorum varia exordia numerumque dierum habebat : Una eademque dies , variis anni , menſiumque diebus enunciabatur. Quid egerunt laudati Auctores , Annum Julianum adhibuerunt , menſuram temporis eis notam & familiarem ; eoque retrogradato dimetiri ſunt ſpatium interpoſitum , quodlibetque geſtum Hiſtoriæ Sacræ atque Ethnicæ , etiamque creationis Epocham , anno , menſe , dieque menſis Juliani conſignarunt.

Dicat Bettazzius , illi Auctores aſſumpſerunt-ne tempus præteritum tanquam *prolepticum* : Sunt-ne redarguendi , quòd tempus præteritum aſſumpſerint , *non quale fuit uſitatum , ſed quale fuiſſet , ſi Annus Julianus à Creatione mundi fuiſſet in uſu.* Reſpondeat ? Dicendumne , *Julianum Annum retrogradatum non poſſe inſervire pro Chronologia* ? Quiſnam eſſet ſtatus

Chronologiæ, ſi Antiqui Patres ad retrogradationem Anni Juliani non inſudaſſent, quænam eſſet in ea confuſio? Quænam ejus ignorantia? Reſpondeat adhuc Bettazzius, Julianus Annus eſt-ne *dux fidus pro Chronologia*? Eſt-ne æqua menſura temporis præteriti? Annus vagus non rectè dimetiens curſum Solarem ſeu Annum Tropicum exhibebit-ne diem menſis cujuſque geſti? Annus qui ſingulis quadringentis Annis triduo antevertit motum ſolis, rectè-ne referet diem cujuſque rei; diem, inquam, quæ habeat eamdem relationem cum Sole, quam habebat dies, in quo res geſta fuit.

Inſuper non-ne Aſtronomi plurimam operam navarunt, ut, operoſis intricatiſque calculis, comprobarent Eclipſes præteriti temporis, Quartaſdecimaſque Lunas Paſchales definirent, eaſque in Anno Juliano conſignarent. Aurei Numeri etiam retrogradati ad hoc non erant ſufficientes: Veteres Epactæ, neomenias Quartaſdecimaſque Lunas erroneè exhibebant. Id commodi, Gregoriano Anno Solari atque Lunari retrogradato reſervatum fuit. Aſſumpta namque ſerie præteritis ſæculis congruâ, Epactiſque ſingulis annis reſpondentibus, cyclari vulgarique methodo Lunæ ætas quibuſlibet diebus præteritorum annorum, facili marte, expeditè habetur. Cur ergo indignè fert Bettazzius, quòd Annum Gregorianum ad præterita ſæcula retrogreſſum commentus fuerim: Atque detractione aut additione quorumdam dierum, in ſingulis ſæculis Julianis, deprehendam diem habentem eamdem relationem cum ſole, quam habebat dies, in qua res geſta fuit. Noviſque Epactis retrogradatis, cyclari vulgarique methodo, ætatem Lunæ præteritorum annorum venare poſſim. Si tam utile commentum, uti meretur, extollere nolit; ſaltem à reprehenſione abſtineat.

Placet-ne, ejus mentem aperiam. Moleſtatur, ejus cyclos potiùs pſeudo cyclos, non poſſe retrogradè aſſumi, inutiles eſſe pro præteritis Annis, nec quidquam Chronologiæ inſervire. Peroptat, ejus commentum ad executionem perveniat, illud Sedi Apoſtolicæ obtulit; congregationem expoſtulat, Correctionis Gregorianæ infenſum adverſarium ſe exhibet, tricas plures in ea extollit. Si meum retrogradum computum ejuſque commoda approbaret: Timet, ne plurium annorum ſtudium in caſſum abiret, ne oleum operamque perdidiſſet. Hæc eſt vera cauſa, cur tantopere in meas elucubrationes invehit.

4. Aliud eſt emolumentum mei retrogradi computi, cujus nec verbum dicit Bettazzius. *Ad criticam plures nati ſunt: ad jus Auctoribus reddendum, pauci* Eo retrogrado computo, Aſtronomorum Tabulas recoquendo, eas ad unicam Epocham Æræ vulgaris reduxi. *Lege totam Diſſ. X.* Quot ſigna, Gradus, Minuta prima ac ſecunda, ſol ejuſque Apogæum: Luna, ejus Apogæum, Noduſque aſcendens habeant in eadem Epocha, juxta opinionem cujuſque Auctoris in iis Tabulis exhibeo: methodumque trado, quâ Epochæ aliorum Planetarum ad eamdem novi ſtili revocentur. Deinde diſtributo motu medio ſolis & Lunæ per Annos Gregorianos collectos & expanſos, unico calculo, locus Solis in Ecliptica, Lunæ in orbita, pro ſingulis annis futuris & præteritis expeditè deprehenduntur.

Similiter reductâ veteri Epactarum Radice ad novum ſtilum, Epactiſque diſtribucis per Annos Gregorianos collectos & expanſos, Novilunia ac Plenilunia media, pro ſingulis menſibus ſæculorum futurorum ac præteritorum; Lunæque ætatem pro ſingulis diebus, certò & expeditè deprehenduntur. Valde diminutam methodum à Vieta commentam multum extollit Clavius, Bettazzius autem meam ſilentio præterit. Ut jam dixi ſupra *pag.* 45. ſed ſi Bettazzius debitum laudis tributum non ſolvat: Lectores atque Aſtronomi ejus defectum ſupplebunt.

V I I I.

EPocham Mundi, Gregoriano computo retrogrado, à me utcunque elucubratam, *Diſſ. XV.* Suo modo obſcuro & implicato, infirmare tentat doctiſſimus Bettazzius. Propter variorum Characterum ſimultaneum concurſum, Mundi exordium definivi: Die 21 Martii, Anni ante vulgarem Epocham 5042. Eam creationis Epocham, non tanquam demonſtratam, evidentem & certam, ſed tanquam ingenioſum & probabile commentum tradidi: Quo viam aperui ad comprobandum, an cæteræ Mundi Epochæ à variis Auctoribus aſſertæ, cum Aſtronomicis calculis concordent. Ariſtarcus noſter ejuſmodi commentum improbat, pluribus rationibus, urgentibus ſuo ſenſu, an verò ſint leves nulliuſque momenti, lectorum judicio relinquendum.

1. Primum quidem objicit, *pag.* 7. §. *il tempo.* me reliquiſſe imperfectum cyclum ſolarem 400 annorum atque Lunarem 2500 an. ait enim. *Rectè quidem procedit P. Capucinus ordine retrogrado: Verumtamen truncat tempus, quod deficit ad complementum Solaris Periodi Gregorianæ* 400 *Annorum. Idemque facit erga Periodum Lunarem, retrocedendo ad placitum*, falsò dicitur, *currentes Epactas, quas cenſet Gregorianas*, eas-ne cenſet Clementinas, *uſque ad dictum Annum creationis, truncando ſimiliter tempus deficiens ad complementum Lunaris Periodi Gregorianæ* 2500 *an.* Grandis error, grandi reprehenſione dignus! Juxta Bettazzium. In retroceſſione computi Gregoriani, non abſolvi Periodos Solarem atque Lunarem, ut patet in meo opere *Tabula XVI. pag.* 101. Grande peccatum! At judicent lectores, num ſapientis ſit, deprehenſo hypotericè Creationis Anno, ad tempus prolepticum, fabuloſum, ſeu imaginarium, protrahere calculum retrogradum, eo tantùm fine, ut abſolvatur Periodus Solaris vel Lunaris. Ex mea retrogradatione, præfixo Mundi exordio, Anno Chriſto anteriori 5042; Non curavi, an is Annus fuerit Biſſextilis aut primus cycli Solaris, vel Periodi Lunaris. Cum autem, computo directo ab exordio rerum incepto, ad comprobationem retrogradi calculi, computum confeci *Tabula XXXVI. pag.* 264. Primum Mundi Annum, primum quoque cycli Solaris atque Lunaris conſtitui.

2. Deinde adjicit Bettazzius. §. il primo. *Qui primus procelloſum Oceanum computi retrogradi uſque ad creationem ſulcaverit, non fuit Pater Capucinus: Cum præter Octavianum Marini, qui, in ejus libro cujus titulus*, Statera Temporum. *Epactas deſcripſit quales reſultant ex Tabulà æquatio-*

num Clavii , cap. 11. *Anno merè Juliano retrogradè aſſumpto. Primus fuit eruditus vir nobilis Frater Hugo à S. Brunone Solitario Liraci Diœceſis Avenionenſis. Ipſe namque eam elucubrationem commentus fuit , quam ad me miſit , ut de ea judicium proferrem. Eam elucubrationem aliorum conſilio impreſſam , oppugnavit dictus Pater Capucinus , valdè doctâ criticâ impreſſa Toloſæ , Anno* 1738 , *cujus titulus. Epactæ Gregorianæ illuſtrata & à conviciis vindicata.*

Porro non agitur , eruditè Bettazzi , de prioritate temporis , neque de prioritate conceptûs , ſed de recta retrogradationne computi Gregoriani. Si Octavianus Marini , Anno merè Juliano , retroceſſerit Eccleſiaſticum computum ad Synagogæ ſæcula : Quis non videt , eam retrogradationem factam Anno vago Juliano , tametſi per Lunarem cyclum Gregorianum æquato , ſicut fecit ipſe Clavius Annis anterioribus Correctioni , ab Anno 1582 ad Annum 500, ad rem non pertinere, neque rectè eam conficere potuiſſe.

Saltem *Frater Hugo à S. Brunone fuit primus, qui ſimilem Anni Gregoriani retrogradationem elucubratus eſt : Eaque, creationis Epocham definivit, Anno* 4124 *ante vulgarem Epocham.* Pace ejus dicam , Fratrem Hugonem non Lunarem Annum Gregorianum retroceſſiſſe, ſed alium à ſe commentum. Centeſimis quippe Annis tam futuris quàm præteritis , non præfixit Epactas congruentes ſecundùm Periodum Lunarem 2500 annorum à Correctoribus indictam : ſed alio modo ab eo excogitato , ſicut fecit Bettazzius pro futuris annis. Singulis binis ſæculis unam eamdemque Epactarum ſeriem attribuit , Saltûs Lunæ ſedem immutat, introducendo ad computum ſæcula imparis numeri ut 1700 , 1900 2100 , &c. ubi Epacta XIX occurrit , eique Epactæ ſub quolibet ſit Numero Aureo , duodecim dies addendo, Saltum Lunæ ſemper adhibet : Quando autem Epacta XIX in ſerie non reperitur , Saltum Lunæ adhibet iis Numeris Aureis ſub quibus Epacta XVIII eſt inſcriptus , propterea illum meritò animadverti : propter eamdem rationem, jurè primus dici nequit , qui computum Gregorianum à volventi ſæculo ad rerum exordium retroceſſerit.

3. Non ſibi conſtans eſt Pater Capucinus , proſequitur Bettazzius, *pag.* 7. 8. *Nel citato Libreto. In primo opere creationem præfixit , Anno* 5093 *ante vulgarem Epocham propter ſimultaneum concurſum Numeri Aurei* 1 *& Epactæ* * . *In recenti vero opere , non amplius ſervans ſimultaneum concurſum Numeri Aurei* 1 *& Epactæ* * , *Creationis Epocham conſtituit Anno* 5042 , *cum Aureo Numero* 14 *& Epactâ XXIII , Quartamdecimam Lunam indicanti die Æquinoctii Gregoriani* 21 *Martii , feria* 4 *propter Litteram Dom. G , unde non perſiſtit in eadem ſententia. Præterea Epacta* * *Anni* 5093 , *annexa prima & ultima diei Martii non indicat Quartamdecimam Lunam , die* 21 *Martii , Sed* 21 *Lunam , conſequenter ruit is Annus Creationis. Deinde Epacta XXIII Anno* 5042 *congrua , Quartamdecimam Lunam indicans , die Æquinoctii Gregoriani* 21 *Martii ; ſupponit præcedentem annum , è quo relicta fuerit ea Epacta XXIII , idcirco definitus annus* 5042 *non eſſet primus Mundi.*

Quis non videt , minùs candidè ſe gerere Bettazzium , & noluiſſe in-

telligere

telligere ut bene ſcriberer. Etenim in primo meo opere Anni 1738, expreſſis verbis dico, *pag.* 161 & 169. Creationis ſæculum me tantùm deſignare: Annum verò ejuſdem ſæculi ad placitum aſſumpſiſſe, quia nondum proprium Characterem cum indicantem, elucubratus fueram. In ſecundo meo opere Anni 1744, de Characteribus primi Creationis Anni, atque primæ Mundi Hebdomadæ certior factus: non ſolùm primum Mundi ſæculum, verumetiam primum Mundi Annum, primam Hebdomadam, primamque diem definio; Die 21 Martii, feriâ 4, Anni Chriſto anteriori 5042. Legat Bertazzius *Diſſ. XV. cap.* 2 & 3. Ubi rationes hujuſce definitionis traduntur, & ediſcet in ea immutatione Anni, nullam eſſe Sententiæ inconſtantiam, ſed ſcientiæ progreſſum.

Præterea in ambobus operibus dictito, juxta hypotheticam creationis meam Epocham, Annum Solarem ab Æquinoctio, Lunarem autem à Plenilunio, eadem die 21 Martii Simultaneè incipere. Legat *caput* 5 & 6, *maximè cap.* 8. Ubi dicitur, cyclos Decennovennalem, Lunarem 2500 annorum, Solarem 400 an. alioſque in computo Eccleſiaſtico adhibitos, arbitrarium exordium habuiſſe: Verumtamen primo Mundi Anno, à verno Æquinoctio ſeu à 21 Martii incipienti, numerum primum cujuſque cycli congruiſſe: Exinde is Annus habuit primum Nmerum Aureum, Epactam *, quæ 21 Martii eſſet adſcribenda, cùm primatum feriarum Littera A. Porro ſi computum ei hypotheſi accommodatum exhibuiſſem, novæ Tabulæ ab origine Mundi, & à 21 Martii incipientes, ſicuti proponebat celebris caſſini tempore Correctionis, producendæ fuiſſent, quod quidem mihi facile, lectoribus autem intellectu dificile, atque Gregoriano ſyſtemati nunc uſitato Summam confuſionem perfudiſſem. Cujus vitandæ causâ, *in Tabula XXXVI pag.* 264. Anno primo Mundi eoſdem Characteres adſcripſi, videlicet Aureum Numerum 14, feriem C majuſc. Quartadecimarum Epactam X, Litteram feriæ primæ G, quos habuit, *in Tabula XVI. pag.* 101 Annus 5042 retrogradè elucubratus, quoſque etiam habuit Annus volventis ſæculi 1742, ſuperiori correſpondens: ut ſic in meo novo commento, cum præſenti Calendario, quamdam rationem ſervarem, quæ legentibus majorem intelligentiam præberet. Iis minimè animadverſis, Clariſſimus Bertazzius, qui tamen lynceus vult haberi, quaſi ludendo & inludendo Dicit: Epactam *, Lunam vigeſimam primam 21 Martii enunciare: atque Epactam Pleniluniorum X, ſeu Noviluniorum XXIII, alium Annum præcedentem ſupponere. Qui habet oculos ad videndum, videat.

Agedum, erudite Bertazzi, deſpice meas elucubrationes, atque invehe, non ſolùm in meam creationis Epocham, ſed etiam in meum retrogradum computum. Dic meas retrogradas Epactas non eſſe Gregorianas, cujus ergo ſunt? Non-ne lectores, æquiores rerum æſtimatores, legendo comprobationes 44 Eclipſium computo Gregoriano factas, & calculo Aſtronomico confirmatas, relatas *Diſſ. IX. cap.* 7. de quibus nec verbum dixiſti, tuam criticam cenſuram ſibilabunt. Scias, ingratiis tuis, rempublicam litterariam, ex meo retrogrado computo, habituram duo Emolumentæ maximi momenti. Primum quidem, veras Epochas motûs Solis & Lunæ aliorumque Planetarum, vulgari Æræ annexas, atque ſtilo novo accom-

modatas habebit : Quibus, Solis ſitus in Ecliptica Lunæque Syzigiæ, facili marte, pro Annis futuris atque præteritis, haberi poterunt. *Vide Diſſ. X. Tabulaſque poſt eam exhibitas.* Si ea elucubratio tempore Clavii fuiſſet propoſita, ad cœlum eam extuliſſet, cum modicum commentum Victæ, ad faciliùs, novo ſtilo, Lunares ſyzigias inveſtigandas, multum extollat.

Secundum non minoris momenti exiſtimandum. Meum quippe retrogradum computum inſerviet, ad quaſcunque opiniones de exordio rerum comprobandas, an cum calculis Aſtronomicis, etiamque cum hiſtoria ſacra conveniant. Concors Chronologorum ſententia, Solem in Æquinoctio Verno aut Autumnali, feriâ 4, creatum fuiſſe : Lunam autem vel Soli conjunctam, vel ei oppoſitam ſuum curſum incepiſſe. Iraque ad comprobandas quaſcunque opiniones de creatione mundi, inquirendum, an Anno ab Auctoribus aſſerto, Sol in aliquo Æquinoctio, Luna in aliqua Syzigia, feriâ 4, deprehenſa fuerint. Difficilis inveſtigatio, meo autem retrogrado computo expeditè fiet. Res exemplo dilucidanda.

Creationis Epocham conſtituit Laudatus Frater Hugo, Anno Chriſto anteriori 4124, quin menſem neque diem aſſignet. Ut ejus hallucinatio pateſiat : Expendamus breviter, an ejus Epocha conveniat cum civili computo Gregoriano, atque cum calculo Aſtronomico. Videamus ergo, num Anno Chriſto anteriori 4124, Luna vel nova vel plena, cum aliquo Solis Æquinoctio, atque feriâ 4 concurrat. Is Annus 4124, ex meis Tabulis, habuit Numerum Aureum 1, Litteram Dominicalem G, Epactarum ſeriem t, decurrentem ab Anno 4201 ad annum 4101, è qua habuit Epactam XXVI indicantem primam Lunam fuiſſe Martii 5 feriâ 2 : Quartamdecimam autem Martii 18 feriâ 1.

Ex Tabulis Caſſinianis. Novilunium medium ejuſdem Anni 4124 contigit die 4 Martii, horâ matutina 11, 38' 4", pridie Epactæ. Plenilunium autem medium die 19 Martii horâ matutina 6 0' 6", poſtridie Quartædecimæ Lunæ. Liquet ex his, feriam quidem quartam, non vero Novilunium nec Plenilunium concurriſſe cum Verno Æquinoctio, die 21 vel 22 Martii tunc conſiſtenti.

Videndum reſtat, an ſimiles Lunæ Syzigiæ, ejuſdem Anni cum Æquinoctio Autumnali concurrerint. Ex Calendario, Epacta XXVI primam Lunam aſſignat, die 29 Auguſti feriâ 4 : Quartamdecimam autem die 11 Sept. feriâ 3, & iterum primam Lunam die 27 Sept.

Ex Caſſinianis Tabulis, Novilunium medium ejuſdem anni contigit die 28 Auguſti, horâ pomeridiana 3 2' 35", pridie Epactæ. Plenilunium autem medium, die 12 Sept. horâ matutina 9 24' 37", poſtridie Epactæ. Ex comprobatione liquidò patet, neque feriam quartam, neque Novilunium, neque Plenilunium Medium atque etiam verum, ſimultanee concurrere cum Æquinoctio Verno aut Autumnali, dicto anno 4124. Idcirco Epocha creationis à Fratre Hugone commenta, uti falſa rejicienda. Sicut reprobatur annus ultimæ Cænæ Chriſti, in quo non deprehenditur Quartamdecimam Lunam Paſchalem fuiſſe feriâ 5. Noli dicere, ſi ſimultaneus concurſus Novilunii vel Plenilunii cum aliquo Æquinoctio atque feriâ 4, calculo novi

Stili non deprehenditur, fortè deprehenderetur calculo veteris Stili. Noli hoc dicere, eſſet quippe magna ignorantiæ nota, cùm tam Syzigiæ Lunares quàm Æquinoctia differant æquali numero dierum in veteri Stilo, quàm in novo reperta ſunt, eædemque feriæ in utroque Stilo ſemper deprehenduntur.

Eam comprobationem tradere lubuit, ut Bettazzio palam fiat veritas atque utilitas mei retrogradi computi: Tamerſi creationis Epocha à me elucubrata non ſit demonſtrativè vera, num ideò mea elucubratio retrograda rejicienda? Minimè. Cum ad plura commoda mirificè inſerviat.

IX.

ALiam controverſiam in me movet eruditus Bettazzius, *de noviſſimo Chriſti Paſchate*. Ad illuſtrandum novi ſtili computum, ad præterita Eccleſiæ ac Synagogæ ſæcula à me porrectum, de ea queſtione Aſtronomicè ſumpta brevem Diſſertationem confeci. *Diſſ. XVI. p.* 278. Eo computo retrogrado deprehendi, Epactarum ſeriem litterâ P majuſc. indicatam, primum Eccleſiæ ſæculum percurriſſe: Annum 30 ejuſdem ſæculi habuiſſe Numerum Aureum 12, primarum Lunarum Epactam IX, Quartadecimarum verò XXVI, indicantem cyclarem Lunam XIV contigiſſe, die 4 Aprilis feriâ 5.... Annum autem 33 habuiſſe Numerum Aureum 15, primarum Lunarum Epactam XII, Quartadecimarum autem XXIX, indicantem cyclarem Lunam XIV eo anno fuiſſe die 1 Aprilis, feriâ 6.

Deinde ad ejuſmodi computi comprobationem, Tabulis Caſſinianis novo Stilo à me aptatis, medium Plenilunium Paſchale eorumdem Annorum inveſtigavi. Atque deprehendi, Anno 30 Jeroſolimis Plenilunium medium contigiſſe die 4 Aprilis, horâ matutina 11 40' 47", feriâ 5, eâdem die Epactæ. Anno autem 33 Plenilunium medium contigiſſe, die 1 Aprilis, horâ matutina 2 50' 42", feria 6, eadem die Epactæ.

Cum ii calculi ſint novi Stili, ut Bettazzio multiſque aliis me accommodem, eoſdem veteri ſtilo tradere congruum duxi. Itaque veteri civili computo, ex cyclis Dioniſii & Bedæ deprompto, Quartadecima Luna Paſchalis Anni 30, aſſignatur die 4 Aprilis, feriâ 3. Anni verò 33. Die 1 Aprilis, feriâ 4. Cum autem illud civile computum pluribus erroribus ſcateat: Aſtronomicum calculum eſt adhibendum. Ii errores plurimùm commendant meum retrogradum computum, quo tam primæ quàm Quartædecimæ Lunæ, abſque calculo, facili Marte, eodem planè modo quo nunc, deprehenduntur. Itaque iiſdem Caſſinianis Tabulis deprehendi, Anno 30, medium Plenilunium Paſchale contigiſſe Jereſolymis, die 6 Aprilis, horâ 11 40' 47" poſt mediam noctem, feriâ 5. Anno autem 33, die 3 Aprilis, horâ 2 50' 42" poſt mediam noctem, feria 6.

Quonam ex his binis Annis, Chriſtus ultimum Paſcha egit cum Diſcipulis ſuis, & mortuus eſt? Attendendo ad Doctrinam Catholicam atque ad auctoritates SS Patrum Græcorum & Latinorum allegatas à Clavio, Petavio, aliiſque computiſtis, inprimis ab ipſomet Bettazzio *in ejus Epitome*. Dies Plenilunii medii ab. occaſu ad occaſum Solis comprehenſa, eſt

I ij

Digitized by Google

Luna Quinradecima : Quartadecima autem eſt ea dies civilis proximè præcedens medium Plenilunium. Cum autem Anno 30 Plenilunium contigerit die 6 Aprilis feria 5 : ea dies fuit Luna 15 , præcedens autem dies 5 Aprilis , fuit Luna 14 , quæ dies cum fuerit feria 4 , non convenit ultimo Paſchæ Chriſti ; quod ſicut docet Doctrina Catholica , feria 5 fuit celebratum.

Secùs autem propter eaſdem rationes : Anno 33 Plenilunium medium contigit die 3 Aprilis , feriâ 6 , ea dies fuit Luna 15 : dies autem 2 Aprilis feria 5 fuit Luna 14 : Idcirco deffinivi in meo libro , eo Anno Æræ vulgaris 33 , Die 2 Aprilis , feriâ 5 , noviſſimum Paſcha Chriſtum comediſſe : Die 3 Aprilis , feriâ 6 , Lunâ 15 , cruci affixum deceſſiſſe : Et die 5 Aprilis , feriâ 1 , Lunâ 17 reſurrexiſſe.

Bettazzio autem non arridet mea ſententia tametſi Aſtronomicè vera : ut eam infirmet , *pag.* 1. §. *Di queſta ultima Paſqua.* Sui operis nondum impreſſi amplum ac diffuſum encomium profert , ad quod lectores remittit : *Ubi omnes quæſtiones de eodem Paſchate explanatas atque reſolutas eſſe dicit.* Sic credere fas eſt. *tandem aſſerit , Chriſtum mortuum fuiſſe , Æræ vulgaris Anno* 30 , *die* 7 *Aprilis , feriâ* 6. conſequenter die 6 Aprilis , feriâ 5 , noviſſimum Paſcha egit. Suam aſſertionem roborat Bettazzius ; 1. Ex veris Luminarium motibus , veram Lunæ oppoſitionem exhibentibus. 2. Ex quodam veteri cyclo , quo Hebræi tunc temporis utebantur , ad enuntiandas Neomenias ſeu primas Lunas. 3. Ex geſtis Hiſtoriæ Sacræ & Profanæ , quæ non refert , & ex multiplici Theologorum auctoritate. Non eſt mei propoſiti neque otii , Chronologos , Hiſtoricos nec Theologos aggredi , atque ad certamen provocare : Probè ſcio , diverſas iſtius geſti eſſe opiniones. Ad computum Eccleſiaſticum me reſtringo.

Ex ipſo Bettazzio , Doctrina Catholica SS Patrum ac Rabbinorum docet , diem civilem , in quo Plenilunium medium deprehenditur , eſſe Quintamdecimam Lunam , Quartamdecimam autem , eam diem civilem proximè præcedentem Plenilunium medium. Ut pluries dictum fuit , maximè *ſupra pag.* 51. Cur Bettazzius eam palmarem Doctrinam deſerit , in facto præcipui Paſchatis à Chriſto Domino celebrati. Liquidò novit , diem 6 Aprilis Anni 30 fuiſſe diem Plenilunii medii , exinde Quintædecimæ Lunæ : aſſeritque eadem die Chriſtum comediſſe Paſcha contra præceptum legis , quam *non venerat ſolvere ſed adimplere.* Non-ne Chriſtus eſt via noſtra , ſicut veritas & vita , non-ne ab ejus exemplo diſcere debemus tempus comedendi Paſcha , ſicut cætera. Si Chriſtus in eo errore cæteris judæis ſe conformaverit , non-ne ineptè Gregorianos increpat Bettazzius , quandoque vitio cycli , Quintamdecimam Lunam pro Quartadecima aſſumentes.

Ad excuſandum judeorum errorem , ad veros Luminarium motus & ad verum Plenilunium recurrit. *Aſtronomia* , inquit , *cum ſuis veris motibus favet eidem propoſitioni , cujus ſcientiæ ignari nequeunt dici Hebræi , cum teſte Strabone tunc temporis celebri ſcriptore , ea ſcientia magis apud eos erat comperta , quàm Alexandriæ. pag.* 1. §. *da prima.* Equidem Plenilunium verum eo anno 30 ex Caſſinianis Tabulis Jeroſolymis contigit , Die 6 Aprilis,

Digitized by Google

horâ pomeridiana 9 50' 10". Quæ hora, Hebræis dies ab occaſu Solis incipientibus, fuit tertia feriæ 6 atque diei 7 Aprilis. Porrò reſpondeat Bettazzius, ubinam didicit, Plenilunium verum conſulendum, ad Quartamdecimam Lunam Paſchalem dijudicandam: aſſignet computiſtam, Latinum, Græcum aut Rabbinicum. Quæ gens civiles menſes lunares à vero Luminarium motu digeſſit? Eoſdem-ne motus conſuluiſti ad dijudicandam Gregorianam Correctionem? Quomodo verum Plenilunium pro normâ Quartædecimæ Lunæ aſſumi poſſet, quod quandoque ante Quartamdecimam, quandoque poſt Quintamdecimam diem & 12 horas à Novilunio vero contingit, ut dixi *Diſſ. XI cap. 9. pag.* 191.

Ad defendendam eamdem opinionem, ad aliud præſidium recurrit Bettazzius. Ait enim *ibidem. Quod eſt omni obſervatione dignum, in eadem propoſitione conſentit vetus cyclus, quo tunc temporis utebantur Hebræi ad Neomenias ſeu primas Lunas enuntiandas: Qui cyclus magno labore atque indagine à me fuit inventus.* Is ergo vetus cyclus, Quartamdecimam Lunam enunciabat die 6 Aprilis. Optimè. Sed reſpondeat iſte Plebanus, ſi Hebræi, præcepto divino ad Quartamdecimam Lunam aſtricti, cycli vitio, Quintamdecimam Doctrinalem pro Quartadecima eo anno uſurpaverint: Haud Dubiè, ejuſdem cycli vitio, pluribus aliis Annis in idem peccatum inciderunt; è quo, errorem primi menſis quandoque provenire neceſſe fuit. Cur tanto zelo invehit in Gregorianam Correctionem, quia cycli vitio, quandoque Quartamdecimam cyclarem Lunam enuntiat, quando eſt Quintadecima Aſtronomica: Maximè ſicuti in confeſſo eſt apud omnes, ad hanc obſervantiam, nullo præcepto divino neque humano aſtringatur Eccleſia. Exemplum Chriſti non-ne docet nos, eas tricas deſpiciendas, dummodo in omni loco, eâdem die, Lunâ cyclari XIV, mundum Paſcha celebremus.

Ad vitanda ea incommoda, dicendum Chriſtum noviſſimum Paſcha celebraſſe die 2 Aprilis veteris Stili, Anni 33 vulgaris Æræ, Quartadecima Lunâ & feriâ 5.

X.

PLura alia minoris momenti, in meo opere reprehendit Bettazzius. Si ſingula notanda eſſent nimis prolixa eſſet Apologia, unum tamen prætermittendum non duxi. *pag.* 7. §. *il Medaglione*, inquit, *Regulam praſcribit Pater Capucinus Diſſ.* 8. *cap.* 8. *quâ ſcienti currentem Epactam, prima Luna Paſchalis innoteſcit. Monere habeo eam Regulam triplicem errorem continere.* Sed dic, ſubtilis Ariſtarche dicendi-ne ſunt errores, quæ defectu ulterioris explicationis, non planè intelliguntur à lectoribus, fuiſſet effectus zeli & juſtitiæ, ſi monuiſſes Lectores eam regulam fuſiùs & liquidiùs explicatam reperiri *Diſſ. XI. cap.* 3. *pag.* 178. ſicut etiam *Diſſ. XII, cap.* 11. *pag.* 198. & pro Epacta 25 quando aſſumenda eſt congeminata cum Epacta 26 vel 24. *Diſſ. VIII. cap.* 8. *pag.* 71. Sed proclamare in ea regula triplicem ineſſe errorem. Quænam eſt hujus effectûs cauſa? perpendamus hos ſuppoſititios errores. Unus eſt quando currit Aſteriſcus *, quæ ſignificat Epactam 30. Quænam aſtutia, Aſteriſcus pluries deſig-

Digitized by Google

nat Epactam nullam quàm Epactam 30 : Si autem Epacta nulla ſeu zero detrahatur à 31 diebus Martii , reſiduum 31 denotat , eam Epactam * eſſe annexam 31 Martii , eo calculo evaneſcit tuus fictitius error. Similiter ſi à 30 Aprilis Epacta 25 ſubtrahatur , non-ne ea Epacta 25 annexa 5 Aprilis deprehendetur , ubi eſt error ? Sed ea Epacta bis reponitur ſcilicet 4 & 5 Aprilis ? Hanc ulteriorem explicationem inquirere debet computiſta.

Porrò finem dicendi conſtituamus, ſat ad defenſionem Gregorianæ Correctionis , ſat ad mei operis incolumitatem dixi. Atque hæc omnia à lectoribus maximè à clariſſimo Bettazzio , eo animo accipi velim , quo à me dicta ſunt : non enim quidquam de ejus famâ , cujus lucubrationes ſuſpicio atque demiror , detractum volo. Solummodo oſtendere ſum conatus , meas elucubrationes eſſe maximè utiles , ac currentes Epactas eſſe Gregorianas , atque adeò cyclicè rectas , ut Bettazzianis cyclis , omnibus perpenſis , præferri debeant : Quæ omnia , judicio lectorum ſaniùs ſapientium dimitto , atque ſedi Apoſtolicæ ſubmitto.

F. MELITON Perpinianenſis Ordinis S. Franciſci Capucinorum ; Provinciæ Toloſanæ Exvic. Provincialis , nec-non Guardianus Conventûs Montis-Peſſulani.

COLONIÆ, Sumptibus Societatis ,
Et veneunt Toloſæ , apud GASP. HENAULT.

Cum Licentia Superiorum 1745.

Digitized by Google

EPISTOLA
AD SUMMUM PONTIFICEM
BENEDICTUM XIV.

BEATISSIME PATER,

POST pedum Sanctitatis Veſtræ devotiſſima oſcula : Apologiam Gregorianæ Correctionis meique operis adversùs Jacobum Bettazzium Pratenſem, Plebanum S. Hippolyti Diœceſis Piſtorienſis in Hetruria, fidenti atque humillimo animo, ei offero. Ille eruditiſſimus Vir, occaſionne mei operis, Sanctitati Veſtræ jam pridem oblati, Cujus Titulus. *Gregoriana Correctio illuſtrata, ampliata, & à Conviciis vindicata.* Aſtronomicis apicibus ſupra modum aſtrictus, factis valde prolixis Tabulis mediorum motuum Solis & Lunæ ad complura Annorum millia extenſis, quotieſcunque Cyclaris Quartadecima Luna Paſchalis, tum quoad menſem, tum quoad Hebdomadam, ad amuſſim cum iis non conſentit, Grande Peccatum eſſe prædicat. Statuto principio, Quartamdecimam Lunam eſſe diem civilem, à veſpera inceptam, proximè præcedentem medium Plenilunium, eoſdem errores ex parte demonſtrat. Imo in *Epitome ſui operis Paſchalis*, Florentiæ impreſſâ, Anno 1733. novos à ſe dictos cyclos Paſchales proponit.

Veritatis zelo, atque S. Sedis æmulatione, ad incolumitatem Gregorianæ Correctionis, ei reſpondere congruum, ìmo neceſſarium duxi. Equidem ſi ad hominum Doctrinam, quam Catholi-

cam Bettazzius appellat, attendamus; quâ ſtatuitur, Quartamdecimam Lunam Paſchalem eſſe diem civilem proximè præcedentem medium Plenilunium; ita ut Dies cyclaris Quartadecima non ſolùm complectatur Primum, Secundum vel Tertium quadrantem Quartædecimæ Lunæ mediæ, verùm etiam ad quartum attingat, complures errores animadvertuntur: nedum in cyclis Gregorianis, ſed etiam in omnibus cyclis Lunaribus, ab exitu Ægipti uſque modò ſine numero commentatis, atque à Gentibus, à Synagoga & ab Eccleſia uſitatis. Adeo ut ſit etiam Doctrina Catholica, nullum Lunarem cyclum civilem ab ejuſmodi erroribus immunem excogitari poſſe. Si quis eos prorsùs devitare vellet, cyclis vale dicere Calculoque Aſtronomico, quotannis Paſcha inquirere haberet.

Porro Beatissime Pater, ſi ad verbum Dei ejuſque præceptum attendamus, omnes dicti errores evaneſcunt; eò quippe ediſcimus, ad rationem Paſchatis, cyclum vulgarem adhibendum. Legitur etenim Exodi 12. *Menſis iſte*, qui cyclico ordine erat Septimus, *Vobis principium menſium, primus erit in Menſibus Anni.* Iſtius Menſis Dies non fuere Luminarium motu medio neque vero Computati, ſed ſicuti cyclo vulgari numerabantur, fuere à Deo aſſumpti. Fortè ejus Quartadecima dies, Quartædecimæ Lunæ mediæ primum aut ſecundum quadrantem complectebatur, fortè ultimum, proximèque Plenilunium medium præcedebat: fortè cum ipſo Plenilunio concurrebat: fortè Æquinoctium concomitabatur, aut quibuſdam horis ab eo diſcrepabat. Ne ad hos Aſtronomicos apices Hebræi attenderent, Scriptura Sacra, cum de Paſchate agitur, Conſultò Lunæ atque Æquinoctii nomen penitùs reticet, tantùmque primum Menſem verni temporis, Dieſque ejuſdem Menſis civiles commemorat. Proſequitur enim, *Decima Die Menſis hujus.* Servabitis eum videlicet Agnum *uſque ad Quartamdecimam diem menſis hujus.* Levit 23. 5. *Menſe primo, Quartadecima die menſis ad Veſperam, Phaſe Domini eſt, & Quintadecima die menſis hujus Solemnitas Azimorum.* Num. 28. 16. *Menſe autem primo Quartadecima die menſis Phaſè Domini eſt, & Quintadecima die Solemnitas.* Deut. 16. *Obſerva menſem novarum frugum & verni primum temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo, quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægipto nocte.* Joſue. 5. 10. Circumciſo populo, poſt 40. Annos ab exitu Ægipti, *fecerunt Phaſe Quartadecima die menſis ad Veſperam in Campeſtribus Jerico.*

Proinde ratiocinari licet, Menſis iſte, dies decima & Quartade-

cima Menſis hujus, cyclicè ad modum vulgi Computabantur: Si cyclicè, diebus Lunaribus Aſtronomicè ſumptis comparatis, variis erroribus erant obnoxii. Si non eo anno exitiis, haud dubiè prætcritis futuriſve annis. Attamen Deus nec præcepit immutare cyclum, neque docuit alium accuratiorem aſſumendum. Liquet ergo pro ratione Paſchatis, Deum noluiſſe aſtringere Hebræos ad Aſtronomicos apices, neque ad diem civilem proximè præcedentem medium Plenilunium: Sed tantùm ut Quartadecima die menſis uſualis & politici, omnes ſimul Phaſe agerent: eoſque, qui ſine legitima Cauſâ, eo tempore, eaque die, Paſcha cum aliis commedere neglexiſſent, minatur exterminandos eſſe de populo ſuo. *Num.* 9. 13.

Veſpera autem, illius Quartædecimæ diei, non decernebatur tunc temporis; per Plenilunium medium, quod eſt Aſtronomorum commentum; ſed judicio ſenſuum, quando Luna ſerò oriens pleno orbe illuminata percipiebatur: quod motu vero, quandoque contingit ante diem Quartumdecimum completum à conjunctione numeratum; quandoquè poſt 12 horas ſupra Quintumdecimum diem: intra namque illud ſpatium 40 horarum, Luna verum Plenilunium perficit, Plenoque orbe rutilans conſpicitur, in ſingulis cyclis Decennovennalibus. Plenilunium autem medium viginti circiter horis diſtans, ultra citraque verum, calculo deprehenditur. Nihilominus ſi tribus quatuorve horis, cyclaris Quartadecima Luna Paſchalis ab eo diſcrepet, quaſi illegitima damnatur à Bettazzio: tametſi major pars Auctoritatum SS. Patrum ab eo allatæ, *in Epitome operis Paſchalis Diſſ.* 2. 3. & 4. de Plenilunio vero intelligendæ ſint. Similiter Æquinoctium, quod plerunque concurrit cum ea Quartadecima Luna, non à calculo Aſtronomico, quando ſolis centrum, lineam æquinoctialem, atomo temporis, tranſilit: Sed à judicio ſenſuum tunc repetebant, quando dies noctibus ſenſibiliter æquantur, quod evenit per totum tempus, quo corpus ſolare circulum æquinoctialem pertranſit: quod tempus Biduum aut triduum complectitur juxta Clavium . . . . vel circiter 33 horas juxta Bettazzium. *Libel. pag.* 2. 5. *Di quanta.* Nihilominus ſi verum Æquinoctium, Quartamdecimam cyclarem Lunam, quibuſdam horis ſubſequatur, illum menſem non primum anni ineuntis, ſed ultimum præcedentis anni cenſendum eſſe decernit.

Itaque Beatiſſime Pater, ſi Deus non præcepit Hebræis, comedere Paſcha LunâQuartadecima media proximè præcedenti medium Plenilunium: Sed Quartadecima die menſis civilis & politici. Si

per ipſummet Bettazzium, alioſque complures, Chriſtus noviſſimum Paſcha egit cum cæteris judæis, Anno 30 vulgaris Æræ, Die 6 Aprilis, feria 5 veteris ſtili: novo aùtem ſtilo retrogradato, Aprilis 4 feriâ item quinta; Quartadecima quidem die cyclari, ſed Aſtronomicè Quintadecima Lunâ media, quod calculo palam fit. Siquidem eo Anno Plenilunium medium contigit Hieroſolymis Die $\frac{4}{4}$ Aprilis, Horâ ante meridiana 11 40' 47" : Nonne dedecet, imo temeritatem redolet, acriter ſuſtinere cum Bettazzio illegitimum eſſe ad Paſcha, Quartumdecimum cyclarem diem, qui cum Quartadecima Lunâ media omnino non concurrit.

Quænam eſt illa Bettazzii Doctrina, quæ ſupponens cyclum ad cyclum reduci nequit? Atque cum Scriptura Sacra pugnare videtur. Num etiam eſt Doctrina Catholica, à ſex circiter annorum millibus experientiâ comprobata, nullum Lunarem cyclum, ſine vitio excogitari poſſe. Quiſnam zelus, ultra divinum mandatum, protrahere obligationem Paſchatis? Quænam ingenuitas, rectè dicta à SS. Patribus Græcis atque Latinis, cùm cæleſte Æquinoctium, à 21. Martii Sede Eccleſiaſtici Æquinoctii duobus, quatuor, ſex, octo, decemve diebus dimotum erat: cùm cyclaris quoque Quartadecima Luna, Biduo, triduo, quatriduove à Quartadecima media diſtabat; Gregoriani cycli levibus atque inevitabilibus à ſe dictis erroribus accommodare?

Ex his contra Bettazzium Concludo, Beatiſſime Pater, Gregorianos cyclos tum Solarem, tum Lunarem ad rationem Paſchatis ſummo ſtudio commentatos, ſumma ſapientia inter plures electos, etiam cum eorum *à Bettazzio dictis peccatis* à quocumque cyclo inſeparabilibus, potiores eſſe omnium, qui hactenùs ab exitu Iſraël ex Ægypto ſine numero excogitati fuere: potiores etiam pſeudocyclis à Bettazzio propoſitis, populo faciliores, verboque divino viciniores, Proinde Gregorianos cyclos ſartos tectoſque retinendos eſſe cenſeo.

Benignè quæſo, accipiat Sanctitas veſtra has meas animadverſiones, iiſque perpenſis, maturèque examinatis, ordinabit quod in Domino ei expedire videbitur. Hoc unum depræcor ut ſuam Paternam Benedictionem impertiri dignetur humillimo ac obſequentiſſimo ſervo.

F. MELITONI *Perpinianenſi Ordinis Minorum Capucinorum Alumno. Scientiarum Academiæ Toloſanæ Socio, atque Regiæ Pariſienſi reſpondenti.*

Monſpelii Tertio Kalendas Decembris. An. 1745.

RESPONSUM,

JVSSV SVMMI PONTIFICIS,

Datum R. *Patri* MELITONI *Perpinianenſi Ord. Min. Capucinorum Alumno, ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Principe S.R.E. Presbitero Cardinali Valenti Gonſague, Sanctitatis Benedicti XIV. unico à Secretioribus Conſiliis.*

REVERENDE PATER. Animadverſiones & librum, quem pro tuendâ Gregorianâ, ut vocant, Romani Kalendarii Correctione, ad Pontificem Max. nuper miſiſti: eâ, quâ ipſe fertur in litterarum ſtudia, eruditoſque viros Benevolentiâ, benignè humaniterque recepit. Cum autem Res, quæ ibidem in Controverſiam Vocantur, maximi ſint momenti, & difficillimæ indaginis, nihil præproperè definiendum cenſuit; ſed omnia maturo judicio perpendenda. Quotieſcumque igitur à graviſſimis curis, laboribuſque maximis, quibus undequaque obruitur, ipſi reſpirare licuerit; Rationum hinc inde momenta, juſtâ & æquâ lance librabit. Quæ dum Sanctitas ſua juſſit, ut tibi ſignificarem, Apoſtolicam interea Benedictionem peramanter impertitur. Ego autem omnia tibi Fauſta & Felicia precor à Deo. Ad officia.

F.C. Valenti. *Subſcriptus.* Romæ 8. Kalendas Janu. 1746.

MAG 2015384

Digitized by Google

Digitized by Google